
EXLIBRIS
Sigerist-Escher

EPISTOLARUM
AB
ERUDITIS VIRIS
AD
ALB. HALLERUM
SCRIPTARUM
PARS I.

Latinæ.

VOL. VI. ET ULTIMUM.

EPISTOLÆ a 278. ad 334.
SCRIPTÆ AB ANNO MDCCLXIX.
AD ANNUM MDCCLXXIV.

BERNÆ.
Sumptibus Societatis Typographicæ.
1775.

ALB. HALLER
LECTURIS
FELICITATEM.

Quando has epiſtolas ex meis ſcriniis colligere & edere ſum adgreſſus, ſcopus fuit bonas adnotationes interſperſas conſervare. Coram habebam T. Bartholini Epiſtolas, quas cum magna mea voluptate, neque certe abſque utilitate, legi & relegi. Facile vidi, non omnia, quæ ex amico animo effuſa fuiſſent, ex orbis eruditi ſapore fore: neque nova literaria, quæ fata & vitæ cujusque Scriptoris eventus ſpectarent, neque amicitiæ teſtimonia. Deinde offenſas evitari non poſſe, ſi viventium ſcrip-

torum, etiam mortuorum, cum aliis lites, & duriora doctorum virorum de aliis doctis viris judicia prelo traderem, quæ in amici ſinum quiſque depoſuiſſet. Fuerunt, & publice de hac jactura dolorem meum teſtor, qui omnino epiſtolas ſuas, lectu digniſſimas, nollent edi. Feci ergo ut potui, reſecui inutilia, offenſas litesque delevi, plurimas epiſtolas omiſi, de aliis putavi, quæ exiſtimarem vel inutilia fore, vel alicui gravia. Eo ſeveriorem me præbui, ut in collectione procedebam. Neque ita tamen video me ſatisfeciſſe omnibus: ſunt enim Cl. Viri, qui porro querantur, multa me nulli uſui futura admiſcuiſſe: alii, quæ ſibi lites conciere poſſent, conqueſti ſunt hic edita fuiſſe. Maluiſſent alii, doctorum virorum debiliora quædam loca eorum meritis condonata & ſuppreſſa. Non repugno

pugno, quin alicubi peccaverim. Utilitatis multi ſunt gradus: viſa ſunt mihi aliqua uſum habere, quæ aliis non videntur. Morbum Cl. viri, unicum quidem, ipſe percipio melius fore omiſſum. Ut ut vero hæc peccata a ſeveris judicibus æſtimentur, malum tamen animum abeſſe mihi certiſſimus teſtis ſum. Studui, ut publice prodeſſem, ut nemini eſſem moleſtus: ſi quid, in meis perpetuis languoribus, morbisque nunc ab aliquot annis frequentiſſimis erravi, condonent, rogo, juſti judices meo innocentiſſimo deſiderio, publice ut redderem utilia, quæ alioquin mecum interiiſſent. In reliquis linguis ſeveriorem me fore certiſſime mecum conſtitui: germanicæ vero præcedent. Bernæ d. 4. Julii 1775.

INDEX
TOMI VI.

WERN.

INDEX.

278.

CAJETANUS TORRACA.

Abstinerem profecto ab rudibus hisce ad Te litteris, nisi, ut ad sapientissimum, ita & ad humanissimum Virum essem scribendi certior. Sapientiæ tuæ thesauros, Vir in doctrinis universis Celeberrime, atque in Physiologia Princeps, Perscrutatori indefesso, ac limpidæ rationis lumine pollenti suos aperuit natura. Id plurima, eaque magna testantur aurea tua scripta: universus litteris studens profitetur hominum cœtus, miraturque. Sed ipsa hac tua raptus una & fretus sapientia, quæ indivisam habet humanitatem summam, scribere audeo ad Te, occasione desumpta a cadaveris longævæ mulieris observatione, quam, nisi Parochi testimonium confirmasset, antiquæ adeo ætatis ne Tu quidem ipse, ut opinor, extimavisses, qui humani fabricam corporis in omni statu intime noscis, atque discernis. Tantisper immorabor (licet brevitatis sollicitus) ne pretiosa tua Tibi tempora imprudens teram in historiola prius morborum describenda, quos passa fuerat, ut ab ejus filia plusquam sexagenaria exceperam, atque in extremæ ægritudinis, tandemque disectæ cadaveris expositione.

Nata hæc mulier Viterbio IV. Idus Majas anni MDCLXVII. a matre, quæ & senium attige-

rat centum proxime annorum, occubuit III. Idus anni MDCCLXVIII. in Centumcellensi D. Providentiæ nuncupato xenodochio, quod ad ægrotantium mulierum levamen, atque ad tuendas parentibus orbas puellas, nuper exstruxit munificentissimus Clemens XIII. P. M. officiis atque instantia motus Religiosissimi, recens defuncti, Hyacinthi Bambocci Parochi, Ord. Prædicatoris. Procera mulier fuerat, sanissimo constituta corporis habitu, multo referta adipe, bona jugiter fruens valetudine, quæ novem ediderat ex unico marito liberos. Cum nonam circiter expleret suæ ætatis decadem, cadit primo apoplectica. Resolvitur sinistrum latus, cujus post breve tempus usum aliquem recuperat. Ex inopinato casu fracto & sanato femore, redditur inde claudicans: fitque hoc circa tempus veris primum: frequentioribus dein obnoxia animi defectibus, ex quibus tamen, veluti experrecta, ad labores continuo redibat assuetos, vel si diu sopita remaneret, educto sanguine excitabatur. Luxationem ex iterato post aliquod tempus casu perpessa dexteri carpi, sanatur feliciter; ac præter habituales, quas innui λειποθυμίας, læta vivebat suo senio contenta, majori pollens dentium parte, oculorum acie vix obtusa. Vto. Nonas elapsi Novembris cadens noctu de lectulo contundit dexteri lateris costas, unde dolor eam & febris aggreditur. Tribus jacuit sine medela diebus, receptam denique in nosocomium ipsam invisi cum dolore spirantem, cum febri, pulsu irregulari, duriusculo. Emollientes fotus, mollissima syrupis

ſyrupis blande inciſivis mixta olea, hordeaceæ potiones, atque unica unciarum ſex circiter ſanguinis emiſſio ſublevarunt mulierem. Die tertio (a decubitu in noſocomio) fere ſana lectulo inſidens, ac facetiis animum una cum puellis recreans, circa primam horam noctis improviſo ſupina cadit, ſenſibus motuque deſtituta. Vix reſpirat, & certe abſque ſibilo, abſque ſtertore. Facies fit cadaveroſa, pulſusque notantur cum frequentia celeres, inæquales, atque pro ætatis ratione fortes potius, durique. Latus, quod jam paralyticum fuerat, obſervatur dextero frigidius, artus omnes immoti, ſed flexiles. Eam non excitant frictiones, non ſanguis iterum emiſſus, non calefacientia pedibus admota: nullum per os admitti potuit remedium: fuerunt clyſteres inutiles. Poſtremo quinto ab hoc lethali paroxyſmo die placidiſſime e vivis ſublata eſt.

Me quidem ad cadaveris hujus diſſectionem ſtudium indagandi movit cauſas morbi, & ſedem: ſolicitum vero reddidit occaſio rara perſcrutandi in ſenio certe extremo tum partium generationi dicatarum, tum viſcerum omnium, vaſorumque conditiones. Et ſane mirum videre erat, cum ad inciſionem deveni, accerſitis Ferdinando Tonni Medico expertiſſimo, ac Bartholomæo Riolſi Chirurgiæ Profeſſore ſolertiſſimo, manus ac ſectionem præbente, ejusque fratre Paulo juvene Chirurgiæ ſtudioſo, nitidam cadaveris externam ſuperficiem. Nullus in eo livor, cicatrix nulla, color ex albo flaveſcens; levitas imo cutis uni-

versæ; atque mollities subjectæ pinguedinis indigitabat præsentiam. Mammæ flaccidæ & prolapsæ glandulosum abscondebant glomerem, adipe involutum non modico. Sola facies verè senilis, rugosa, & oculi in orbitam retracti. Cutis recisa observatur vasis ubique ditata, atque humoribus scatens, subjectaque cellularis tela alto hic illic sano adipe præsertim in abdomine redundabat. Nullus, neque ex visceribus infimi ventris, exhalavit fœtor, nisi qui de carnibus recens incisis elevari solet. Omentum latissimum, cuncta fovens a ventriculo ad pubem intestina, adipe conspicuisque sanguiferis vasculis contextum: atque integerrima erant cuncta hujus cavitatis viscera; si illud excipias, quod retentæ in extrema ilei plicatura feces ad tres circiter transversos digitos illius tunicas atro ex viridi fœdabant colore. Modicum sanæ bilis in hepatis vesicula repertum est, & parum lotii in vesica urinaria. Nec prætereundum, quod omnis abdominis perscrutatio quam politissime facta fuerit, vix etenim restitantis cruoris detinebant quidquam vena cava, & quæ hepaticæ, splenicæ, mesaraicæ dicuntur, cunctæque uno verbo magis conspicuæ, quæ sanguinem revehunt in hepatis portam.

Uterus peritonei extus tunicâ indutus vix XII. lineis mensurabatur latitudine, nec XVIII. circiter lineas longitudine excedebat. Fundi cavitas minus trium linearum diametrum habebat: hinc crassissima erat, data proportione, ejus muscularis substantia, & compacta, ut vasis obstructis densum

ſum ſtricte ſpongioſum videretur viſcus. Anguſtiſſimi cavi interna ſuperficies lævigatiſſima, humens, lucens, ex rubro atra erat, atque conicæ cum baſi curva figuræ, per cujus tamen oſculum nonniſi aliqua adhibita vi tenuiſſimus ſtylus transmittebatur in vaginam anguſtam, rugoſam, madidam. Ad latera cavitatis obcæcati erant aditus in tubas. Omnia in reliquis videbantur ſana, exceptis aliquibus hinc inde per ovaria nigerrimis ex atro congeſto cruore tuberculis, veluti verrucis, ſeu varicum nodulis, quorum unus major ciceris granum æquabat. Nullum de cetero apparuit lutei corporis veſtigium. Atque me pœnitet ea occaſione microſcopium, atque injectiones neglexiſſe, ſed opportunitas deſiderabatur; fere enim clanculum in puellarum cœnobio has facimus obſervationes.

Latiſſimum pectus pulmones continebat turgidulos, obſcuros, ad coſtas ab ampliſſimo pericardio conpreſſos. Pericardium late infra adhærens diaphragmati multum liquoris pellucidi ſero ſimilis, non tamen rubelli replebat, qui revera amplæ rationem cavitatis non videbatur excedere. Cor triplo amplius quaquaverſum ſani cordis dimenſionem ſuperabat. Flava nitida multa pinguedo luxuriabat in baſi, & circa majora vaſa coronaria, quæ latiſſima aderant, & in apice: ſubater color, ſubſtantia vero mollis, & laxa hujus cordis erat. Anteriorem ventriculum implebat magna aterrimi coactique cruoris quantitas. Lacerti tenues, flaccidi. Poſterior ventriculus atramento

 ſimiliter

ſimiliter oppletus ſanguineo album duriuſculum continebat polypum, ovi ferme columbini magnitudine, qui teres factus exibat in aortam, atque in unam fortaſſe ex internis carotidibus: eductus enim ex ipſo inciſo ventriculo, ſectaque aorta pedalis quaſi obſervatus eſt longitudinis, extenuabaturque procedens ſemper albus, donec exacta pedali menſura cruentus fieret; ad diametrum vero dilatatæ aortæ ſubtriplam circiter habebat rationem. Flaccidæ pariter & tenues erant ſiniſtri hujus cavi columnulæ, facili vi lacerabiles. Aorta, atque pulmonica arteriæ, craſſis laxisque parietibus, ſeorſim a corde ſpectatæ, aneuryſmaticæ anatomico vocabulo eſſent dicendæ, ut & varicoſæ venæ pulmonica & cava, ambæque auriculæ: ſinusque ſolito longe ampliores, & majoris naturali diametri ipſæ prope ortum carotides, & ſubclaviæ; verum ad cor certe maximum omnia rationem habebant æquam: quare unicus hoc caſu cordis una & majorum vaſorum ανευρυσμα ſpectanda videbatur. Quamvis autem extraordinariam obſervaviſſemus ſanguinis in pectore copiam; non minus tamen illius momentum caput recondebat.

Hoc dum ſecabatur, cranii lamellæ oſſis, præcipue frontalis, ultra morem exiles adnotatæ ſunt. Neceſſe autem fuit cum cranio duram circulari ſectione *Meningem* ſecare, atque ſimul abſtrahere, qua vi *falx* ipſa *meſſoria* avulſa fuit; erat enim dura mater in omni puncto firmiſſime cranio adnata: cumque hanc ipſam ab interna cranii ſuperficie

perficie vi summa distraxerimus, cumulum notavimus, præsertim circa verticem, vasculorum avulsione laceratorum, cruorem densiusculum atrumque effundentium, sulcosque latos, crebros, profundosque ipsi cavæ superficiei insculptos. Per ipsam porro exteriorem cerebri membranam crebræ & dilatatæ venæ serpebant, atro coactoque distentæ cruore. Crassior & ipsa robustaque erat, & crassissima ubi duplicata aptatur in septum hemisphæria cerebri sejungens, cujus tamen sinus omnino vacuus fuit. Multo similiter sanguine vasis coercito rubens notabatur altera interior cerebri membrana, quæ facillime & integra ab anfractibus separabatur. Mediam non advertimus membranam. Corticalis substantia compacta nimis ac solida cinereo erat ferme fusco tincta colore: fusca ideo adparuit & medulla, quæ mollior erat cortice. In ipsa medulla, ubivis incideretur, frequentissime insurgebant rubra puncta eaque latiuscula, veluti ex recisis vasculis sanguineæ guttulæ. Verum sinistro ad horizontem duri corporis *callosi* reciso hemisphærio in maximum incidimus abscessum, omne hoc cerebri latus alte occupantem, ac destruentem, ibique profundiorem, ubi hujus lateris ventriculus esse solet, cujus ideo nulla amplius forma, nec choroideus processus aderat. Tota hæc substantia in mollissimam ex rubro cineream informem pultem tactu solubilem abierat, ex qua tamen nullus omnino pravus odor emanabat. Dexterum hæmisphærium figura omnino naturali observabatur, ventriculus integer cum suo choroideæ

 processu

processu latiusculo, obstructoque, nullo autem latice: neque læsum notavimus septum lucidum, neque cerebri reliquæ particulæ a naturali declinaverant constitutione. Sanissima cerebellum ejusque crura erant, atque oblongata medulla, si excipias substantiæ densitatem, atque illam, quam universalem innui sanguinis restitantiam, quæ & in ipso opticorum nervorum involucro duræ matris propagine, magis quam in cæteris ex cerebro prodeuntibus nervis, conspicua fuit.

En Vir Celeberrime! cadaveris adspectum, in quo si morbosas spectes læsiones, nihil mehercle est, quod sexcenties jam observatum plus minus non fuerit. Notabo obiter, quod iste cerebri abscessus cum iis affinis esse videatur, quos *sui generis abscessus* vocat Morgagnus (*a*): & quamvis ulcus vere dici cum Valsalva (*b*) possit, & enumerari cum illis erosionibus, quas inter apoplexiæ causas recenset Hippocrates, seu Auctor libri de glandulis (*c*); probabile tamen est productum fuisse a simplici fibrillarum cerebri ob nimiam sanguinis repletionem diu distractarum laceratione, ut ipsi Morgagno explicare placuit (*d*). Nec prætereundum est, læsionem cerebri non quidem semper oppositi lateris paralysim inducere, quod pluries Valsalva & Morgagnus Clarissmi. adnotarunt, aliique, & ego ipse sæpius exacte observaveram: verum contingit & non

(*a*) de Sed. & caus. morb. Ep. V. 7. IX. 16.
(*b*) ib. III. 3.
(*c*) Edit. Marinell. N°. 9.
(*d*) loc. cit. III. 9.

non ſemel reſolutum latus correſpondere cum læſo cerebri latere, ut manifeſtum eſt in caſu deſcripto, atque ingenuiſſimus æque & ſapientiſſimus Morgagnus minime reticuit (*e*).

Illud præterea in tam dilatato corde (eſt autem ſenibus ampliatum (*f*) cor frequentiſſimum) peculiare notaverim, quod æqua cum corde ratione cuncta ei contigua creverant majora vaſa. Et quamvis frequentius ſit in anteriore ventriculo polypos, & dilatationes obſervari (*g*), nos in utroque atrum coactumque cruorem vidimus, atque de poſteriori polypum eduximus magnum, albicantem, denſum, atque eumdem ad aortam adſcendentem & carotidem (*h*). Sed neque id rariſſimum eſſe teſtaris (*i*) Vir Illuſtriſſime, atque plures Auctorum Celebr. teſtantur enarrationes. Non autem adnotata fuit in vetula parvitas illa, exilitasque pulſus, quam polyporum præſentia producere ſolet, quod fortaſſe jaceret polypus in ampliato ventriculo, atque aorte dia-

 metro

(*e*) ibid. Ep. LVII. 14. 15. LXII. 12. &c.

(*f*) omiſſis ceteris videre ſit magnum tuæ Phyſiologiæ opus T. II. S. VI. Sect. I. §. 39. Edit. Venet.

(*g*) Elem. Phyſiol. ibid.

(*h*) Polypus alte ad jugularês adſcendens cum icone deſcribitur nitidiſſime in tuis opuſc. pathologicis. Et recordor me juvenem vidiſſe in cadavere ſimilem polypum in Archixenodochio S. Spiritus in Saxia urbis, cum Medici ibi aſſiſtentis fungebar munere.

(*i*) Elem. Phyſiol. Lib. V. Sect. I. §. XI. not. n. o. o.* Edit. Venet.

metro multum luminis relinqueret, ad trajiciendam sanguinis impulsi undam liberis contractionibus.

Addam, posse inquiri, apoplexia, an lethali syncope, an utraque simul sublata fuerit longæva mulier? Apoplectica jam fuerat decem circiter ante annos. Frequentibus erat obnoxia λειποθυμιαις. Illius in capite, hujus causa morbi observata est in corde. Cum fuit lethali morbo extremoque aggressa, nulla partium nova resolutio, nulla contractio, sola vero artuum immobilitas, non stertor, non crebra & fortis respiratio contigerant: retinuerat quidem fæces & urinam: refrigeratione tantum observatâ in latere primum resoluto. Pulsus econtra pro ætate fortes, duriusculi, cum frequentia celeres, inæquales, imo ἀσφυξια vix momento mortem præeessit, quæ non nisi ad initium usque quinti ab extremo paroxysmo diei successit.

Cæterum de crassæ meningis ad cranium firmissima adhæsione non miror: similes alias notavi; atque ejus motum non esst vitæ necessarium, Te, observationibus innixum, jam docuisse haud nescio (*l*).

Ast illud in hoc cadavere spectabilius a me æstimatum fuit, quod senii adeo extremi fere nulla, si faciei adspectum prætereas, adparuerint indicium. Quid enim tantæ longævitatis erat signum in

(*l*) Et plures sane refert observationes Morgagnus de sed. & caus. morb. Epist. III. 21. XXVIII. 2. XXXVII. 30. LI. 6. 38. LXVII. 14. &c.

in cute mollissima omnino vasculosa? quid in cellulari sano adipe fere ubique referta? quid in visceribus, in laxo corde, atque in majorum vasorum mollitie, & in minorum patula meabilitate? Uterus certe adeo contractus, tubæ occlusæ, nigræ verrucæ in confusa ovariorum fabrica, ætatem viderentur indigitare antiquam: sed æquivocum hocce senii testimonium est: sæpissime enim in viridiori ætate uterus inventus est exiguus, arctatus, cavitatis perangustæ, crassissimis parietibus, osculo coalito &c. vide sis, ceteros omittendo Cl. Morgagnus (*m*), quem veneror sapientissimum & amicissimum colo; tubasque cæcas Tu Vir Illme. sæpius vidisti citra senectutem (*n*). Quid autem de verrucis illis ovariorum nigris sentiendum? De rugis vero vaginæ reparatis nihil memorem; est namque obvium: atque abs Te facilis reparatio asseritur (*o*).

Vasorum angustationem (*p*), obcæcationem, duritiem, eamque non semel in senibus osseam (*q*), quæ causa hoc senili in corpore prohibuit? Dicerem plura, quorum tamen causæ expiscandæ adhuc essent ad peculiarem usque corporis hujusce, solidorum humorumque constitutionem.

Cor

(*m*) De sed. & caus. morb. Ep. XXXIV. 11. XLVI. 20. XL. 124. LI. 4. LXVII. 9. &c.

(*n*) Opusc. path. obs. 41. 42.

(*o*) ibid. obs. 39. hist. 3.

(*p*) Novit & Galenus senibus angustiores fieri venas &c. de sanit. tuend. lit. 5. cap. 7.

(*q*) Elem. physiol. (Tua) lib. VI. Sect. II. §. 3. & opusc. pathol. obs. 18. 19. 47. 51. & apud Morg. l. c. aliosque autores. Mirabiles & ipse vidi ossificationes etiam in non senibus.

Cor tam grande, tam enutritum, amplius adeo coronariis vasis, tantoque idcirco adipe, qui eadem majora sequi solet (*r*), munitum, quid mirum si molle, si laxum fuerit, similisque aorta arteria & pulmonicas? Quo autem minus crescit est quidem cor plus irritabile. Ab ejus vividiori irritabilitate pendet sanguinis propulsio validior, quæ extremorum etiam vasorum collapsum, & obcæcationem prohibet. Nonne hæc eadem ratio pro vasis cor ipsum enutrientibus valet? Sed ex fluidorum parte requiritur conditio, qua etiam præpediantur vasorum occalescentia & rigiditas. Generatim loquendo, minus terræ, gluten levius, plus blandi unctuosi, aquei muci multum, solidas partes, reparando, molliores reddunt: an hæ conditiones tum fluidorum, tum cordis, solidorumque omnium favet longævitati? An eædem senium adeo extremum mulieri procurarunt? Certe eam nisi substulisset morbus, cujus in corde, & cerebro causam vidimus, & qui senibus esse solet peculiaris, in *εὐθανασίαν* senilem tardius constitutionis suæ ratione visa est anus occursura.

In ariditatem senilem citissime incurrunt quidam: nec rari sunt, qui habitum servant provectiori ætate vasis patulis humidum. Sed certe senium attingunt corpora vividius, quibus minor obcæcatur vasorum numerus, seu quæ humidiora sunt: unde notavit jam Galenus (*s*), id esse maxime diuturnum, quidquid minime siccatum est.

(*r*) Lit. VI. Sect. 3. §. 1. Tuæ physiol.
(*s*) Gal. de sanit. tuend. lib. V. cap. 3.

eſt. Nec repetenda hæc eſt ſeneſcendi facultas, ac diverſitas, ab alimentis tantummodo, a regionibus, aëre &c. verum ab ipſis maxime primordiis animalis in utero cum primò evolvitur. Maximus porro hominum numerus e vivis rapitur violenter: ii autem, qui evadunt pauciſſimi, indubium eſt, ad extremam proveniunt ſenectutem, peculiari quisquis vitæ genere uſus. Aridam, humidamve ſenectutem attigerunt helluones, ſobrii, qui laborioſam, qui deſidioſam duxere vitam, & pauperes, & opulenti. Conferre duntaxat, nec parum, valet ad violentas arcendas ægritudines violentamque mortem prudens vivendi methodus, ſalubris regionum conſtitutio. Vitæ terminos citra violentiam, & qui naturales dicuntur, ſuos habent peculiares pro quaque ſpecie & belluæ, & plantæ: nonne in embryonibus ipſis ſunt rudimenta ſpecificæ viventium longævitatis? Ibi videtur poſuiſſe vitæ terminos naturæ Auctor ſapientiſſimus omnipotens, in cujus viva mente ſunt & termini abbreviati, ſeu violenti.

Illud inevitabile longævis omnibus eſt, quod mechanica neceſſitate organicum cerebri, aut cordis, aut utriusque contrahant ſenſim, ſine ſenſu læſionem aliquam. Tum in aridis ſenibus, tum in ſucculentis, cordis motui efformantur innumeræ reſiſtentiæ; unde ipſum labefactari plus minus neceſſum eſt, & in ejus cavis, & in pulmone, & in cerebro reſtitare cruorem. In aridis evenit vaſorum obcæcatio, collapſus, induratio: in ſucculentis infarctio vaſorum, obſtructio: in illis irrita-

irritabilitatis ſtatus a nimia muſcularium fibrarum cohæſione ſenſim aboletur (*t*). In his ab eodem ſtatu irritabilitatis paulatim & denique recedunt fibræ, nimium recedentes a congruo mutuo contactu (*u*). Sic gradatim evertitur in utrisque animalis œconomia, in qua vita conſiſtit, & hæc neceſſario deſinit. Apprime igitur romanæ Princeps eloquentiæ (*x*): Mors, inquit, ſenibus ſecundum naturam, juvenibus repugnante natura. Quid eſt autem tam ſecundum naturam quam ſenibus emori? quod idem contingit adoleſcentibus & repugnante natura.

Animadverto jam de longæva me loquentem longam nimis, & fortaſſe ad nauſeam ſcripſiſſe epiſtolam. Ignoſcas quæſo, atque veniam in humanitate confidens ſpero tua, Vir humaniſſime, & ſapientiſſime. Te interim, ut precor, D. O. M. ſervet ad ſenium eo, de quo diſſerui longius, feliciusque. Vale. Dabam Centumcellis III. Nonas Januarii MDCCLXIX.

(*t*) ex leg. 3. 4. de legibus, quas irritabilitati, cujus Tu Auctor es immortalis, ptæſcripſit Clariſſimus F. Fontana.
(*u*) ib. ex leg. V.
(*x*) Cicero dialog. de ſenectute.

279.

CALDANIUS.

Miſi ad Somiſium diſſertationem paucis ante diebus Neapoli redditam, quam olim de me poſtu-

poſtulaviſti. Ea continet varia circa elephantem; non autem, ut credo, anatomica. Certe enim ex eo regno nihil aliud ſuper hoc argumentum in lucem prodiit. Magnum impendi laborem, ſed gratum, pro ea comparanda. Addidi hiſtoriolam inſitionis variolarum more Tronchinii, quam editam voluerunt Parentes infantis, in quo experimentum inſtitui.

Dabam Patavii die 25. Januarii 1769.

280.

ANTONIUS DE HAEN.

Humaniſſimas tuas litteras, 14. Maji ad me datas, curante Illuſtri Viro Boneto, accepi. Reſponſum multo tardum homini ignoſcas, oro, quem curſus pathologicus biennalis ad metam properans, quem clinica publica, quem frequentiores in dies in urbe conſultationes, litteræque conſultatoriæ, ita premunt, ita abripiunt totum, ut dulciſſimo commercio amicorum litterario vix horula ſuperſit.

Attentius legi, Vir Perilluſtris, litteras tuas, lætusque exoſculatus ſum; mœſtus ob id tantummodo, quod haud ſatis videare perpendiſſe, quæ me cauſæ Tibi quondam adverſarium reddere debuerint.

Etenim dum primum adverſum Te calamum arripui, metuebam ne multa, ne grandia, ex nova

va doctrina in ſalutem publicam detrimenta naſcerentur: verbo, ne præter cum neceſſitatem, tum veritatem, genuina Pathologia & Noſologia immutarentur?

Ac primum quidem ex eo, quod tendines ac membranæ ſenſibiles eſſe negarentur, nonnullorum & prævidebam, & experiebar, audaciam; qui partes easdem inconſideranter lædendo, doloris exiſterent convulſionisque fabri.

Secundo, Hippocraticam praxin, quæ unice ſalutaris, unice vera eſt, dolebam ſic a pluribus Medicis negligi, ut nihil, niſi irritabilitatem aut nimiam, aut torpidam, in morbis clamantes, præcipuas Hippocratis, easdemque æternas, haud modo negligerent, ſed & vilipenderent, leges.

Itaque primarius praxeos medicinæ in hac antiquiſſima & frequentiſſima Univerſitate conſtitutus, novam doctrinam aut amplecti, aut refellere a diſcipulis cogebar. Interim haud exigua librorum lectione, litterario etiam amicorum commercio, propriaque experientia, ut videbar, convictus, doctrinam hanc non amplecti, ſed refellere me debere arbitratus ſum: qua quidem in re ſi quid inconſideranter dictum, ſi quid forte impetuoſius prolatum a me fuerit, id potius veri, ſalutisque publicæ amori, quam animo perverſo, tribuas. Id quod claris adverſariis meis, tam his qui contra *difficultates*, quam illis, qui adverſus *vindicias* meas, acerbum acuere calamum, pari jure, pari concedam animo.

Si

Si nihilominus urbanitatis limites me non nihil exſiliiſſe urſeris, profecto unum alterumve verbum ne calamo effluxiſſet maluiſſem; quodque veniam ejus petenti facile condonabis: quæcumque pariter aliis, quæ illuſtri Tiſſoto, horum ſimilia, pejorave, exciderint, hæc ego ut ne ſcripta quidem unquam, aut mente cogitata, reputabo.

Interim, Vir Celeberrime, id pro eo, quo candore es, inficias nunquam ibis, quod nec mihi, nec aliis, qui mecum veritatem, ſalutemque publicam, unice quærunt, tantam dediſſes manus Tecum conſerendi cauſam, ſi quod & in penultimo, & in ultimo operis majoris tomo, ſuper agitata nos inter quæſtione profers, a principio protuliſſes. Quid enim, amabo! ad praxin medicam refert, utrum pleura, dura mater, membranæ, ligamenta, tendines, ſuis propriis, an vero alienis, illisque incumbentibus, tangentibusque nervis, dolere queant: modo ipſiſſimæ hæ partes ſive contuſæ, ſive ſauciatæ, ea exhibeant phænomena, ea auxilia petant, quæ ſæpe nervoſæ exhibent petuntque partes? Quid mea refert pleuritusne a pleura inflammata, qua pleura doleret, an a nervis, quos hæc membrana ſibi circumpoſitos gerat? Quanquam frequentem pleuritidis ſedem in pleura ipſa locari, & quatuordecim demonſtrationibus immortalis evicit *Morgagnus*, & aliquoties vidi ego, & præclarum *Göttingenſis* Univerſitatis ornamentum *Wrisberg* in cadavere, me demonſtrante, luculenter perſpexit. Hæc porro, & ſimilia, ſi ad priorum tuorum experimen-

mentorum editionem adjecta fuissent, omne tulissent offendiculum; omnemque metum, ne sive medicæ, sive chirurgicæ praxi, hæc doctrina obesset, præcavissent.

Interim erga Te sincerus perpetuo animus fuit, nunquam non addictus, benevolusque. Tua in cathedra, inque clinicis, si quid ad phænomena morborum, eorundemque explanandas causas conferrent, semper laudavi auditoribus meis, perpetuoque laudabo. Sed de hisce satis.

Gaudeo, Vir Celeberrime, tantum artis nostræ promovendæ studium adhuc Tui, mecum jam senescentis, in sinu ardere, ut *Bibliotheca medica*, & quidem tali, quam nobis spondes, orbem medicum ditare, amplificareque mediteris. Immensus nimium profecto quem suscepisti, cuicumque mortalium labor foret, qui & ætate, & usu, & librorum apparatu, memoria quoque & præprimis judicio, Tibi inferior existeret. Tot quippe inventa hoc seculo *nova* quæ audiunt, vetera omnino sunt, quorum, suppresso legitimi parentis nomine, sui veluti partus gloriam ambiunt plagiarii; aut sunt explosa quondam, quæ inanis gloriolæ cupedo revocat in usum; aut denique vere nova, quæ non respondent magnificis promissis, quorumque pudebit posteritatem. Plagiariorum exosa gens est, cui vix parcendum: quamvis dentur, quos citra culpam, citra malitiam saltem, ut tales salutaveris. Et ego nonnunquam me primum quidem quid observasse ratus, idem postliminio in antiquissimis legi scriptoribus.

toribus. Inter alia autem nunquam *Cl. Weitbrecht* placita evolveram, quando meam qualemcunque opinionem de corde non projiciente sanguinem, sed locante in arteria proferrem. Praeterea dum raptim quid scribimus, fit etiam nonnunquam, ut nos id ab aliis hausisse non meminerimus.

Porro quod ad nova inventa spectat, laudo regulam, quam *El. Phys. Tom. 2. p. 272. de Bourdevanis* agens, dederis: „ id autem structuræ genus, inquirendo, experimentorum iteratione
„ oporteat aut stare, aut everti, quorum utrum-
„ que otium, & opportunitates, & liberum inpri-
„ mis a præjudicata opinione animum poscunt.

Hanc regulam, nisi me animus fallit, ad nova quæcunque observata scrupulosus semper, aut forte justo scrupulosior, observavi.

281.

JOH. GESNERUS.

Tua Vir Amicissime benignitate superiori septimana curante nobilissimo Filio tuo Hilliani operis volumina II. . . VIII. pridie vero per amicum nostrum D. Schulthessium posteriora volumina quinque IX. . . XIII. ad me pervenerunt. Agnosco gratus tuam in me benevolentiam, quod pretiosum & rarissimum in his oris opus benevole com-

communicare volueris. Paſſim in hoc rariores nec prius viſas ſtirpes deprehendo, quas in uſus meos convertam. Magnificum certe opus & cognitioni ſtirpium promovendæ apprime utile, majori cum feſtinatione ſcriptum videtur. Gemella forte ſola varietas Bidentis radiatæ radio ſemiſloſculorum albo. Meridiana non incommode ad Arctotin refertur. Vaſtiſſimum erit opus, cui exitus non facile prævidere licet, pretioſiſſimum quoque, cui emendo pauci ſunt pares. Curabo ut illæſum tuto ad Te redeat, ſi modo per unam aut alteram hebdomadam ejus uſum conceſſeris. Etiam hoc opus me ad edendas meas Tabulas potius incitat, quam abſterret, etſi ego pauca nova proferenda habeam, puto tamen iis & tyronum & emtorum commoditati conſuli poſſe.

Haenius rationis medendi partem XII. edidit, in qua de irritabilitate, & contra inſitionem variolarum ſcribere non deſinit.

Vale Vir Illuſtris & Amiciſſime, mihique favere porro perge.

Turici d. 26. April. 1769.

282.

CALDANIUS.

Publica vox eſt ab adverſariis meis promulgata, in poſtremo libro Te quæſtionem de tendinum plurimarumque membranarum inſenſitivitate omnino infirmaviſſe, cum ipſi Haenio ſcripſeris

ris, eas partes ſenſu non deſtitui. Haenii librum non vidi: verum ſi poſtremam epiſtolam tuam intellexi, res contrario modo ſe habet: hæc enim lego: *Interim Ill. de Haen noſtra in tendinibus experimenta repetiit, & confirmavit.* Si bene legi, iniquus eſt Haenius ſi contrarium ſcripſit; aut iniqui adverſarii, ſi non ſcripſit.

Legere aveo, quæ ſcripſit Houſſetus contra le Catium; nam ſi de quæſtione noſtra ſermo eſt, videbo quid Houſſetus propoſuerit contra diſſertationes le Catii, quod ego non propoſuerim; ſimulque intelligam & cognoſcam, quæ fides habenda erat illuſtribus amicis, & Molinellio præcipue, qui de meis *Rifleſs. fiſiolog.* ſcripſerat, *me ita le Catium compreſſiſſe, ut nulla ſpes eſſet, poſſe eum iterum in arenam deſcendere.*

Lente admodum pergo in ſcribendo opuſculo, cui titulus erit *Cogitationes phyſiologicæ*; quod & in erudiendis diſcipulis quotidie tempus teram; & in ſcribendis conſultationibus; & nunc etiam Chirurgorum examina & methodos examinandi reformare Sereniſſimi Principis juſſu mihi fuerit demandatum.

Litteras nuper ad me dedit illuſtris amicus Albinus, qui rogatus quid ſentiret de lite a . . . . mihi intentata, nempe de parvis foraminibus, quæ circa foramen majus ovale oſſis ſphenoidis, quod ramo tertio quinti paris, ſ. maxillari inferiori tranſitum concedit; an nimirum foramina vix ſetam admittentia, circa majus illud foramen

 mihi

perpetua ſint, & quid ea foramina ſubeat; hæc, reſpondit, alia atque alia in aliis atque aliis inveni; in aliquibus nulla: quæ quum implevi, vidi vaſcula penetrare per majora a perioſteo ad perioſteum; per alia, fere minora, vaſcula penetrare ad interiora oſſis, quam diploen appellant. Non memini videre *ex trunco aut ramis quinti paris nervulum quendam ſurſum recurrentem duram meningem adire: neque memini id me aliqua occaſione dixiſſe*, certe non ſcripſi.

Vale, Vir Præſtantiſſime, & me porro, ut ſoles, ama.

Patav. 29. Junii 1769.

283.

DOMINICUS AUGUSTINUS ALBERGHETTI.

Neſcio an mihi id recte factum, vel inconſulto potius contigerit, ut opuſculum quoddam a me conſcriptum inter ſpectatiſſimos amicos communicarem, cujus pars operis ſyſtema reſpicit tuum de naturali quarundam partium humani corporis aneſthæſia & irritabilitate, altera pars ſpectat ad peculiarem cruris amputationem, atque ultima tandem verbis, & lineis crus artificioſum figura, motuque naturale æmulans, a me inventum exprimit; cuncti enim me amici in eam mentem impulerant, & urgent adhuc, ut ea quæ domeſticis obdere tenebris ipſe decreveram, debeam

beam modo publicæ luci committere. Verum & ſi multa apud me valeant auctoritate, ut fere nequeam me continere, quin morem iisdem geram, hoc tamen antequam exequar, Vir Clariſſime, multum conſilium & optimum, fidemque tuam exquirens, hujuſce libelli apographum manu exaratum ad Te mitto. Ita inprimis inire gratiam Tecum exopto, qua certe nil mihi ſuavius, nihilque glorioſius unquam erit, dein excelſæ ſapientiæ tuæ ſcripta quæcunque mea ſubjicere. Interim litteras tuas anxie expectabo, quibus ſi opus comprobaveris, facile etiam admittes, ut celeberrimo nomini tuo exornatum in lucem exeat, ſin minus meticuloſus libellus haud prelum videbit: litteris porro illuſtratum tuis libentiſſime & fidenti animo ampliſſimo Foro Cornelienſi patrio meo Senatui dicare non pertimeſcam; imo mihi facile tunc perſuadebo teſtimonium mei erga ipſum grati animi non contemnendum perhibiturum fore, a quo innumeris, maximisque beneficiis ſemper affectus, nuperrime autem decoratus extiti ſatis fulgenti diplomate, quod transſcriptum, atque huic epiſtolæ honoris mei cauſa adjunctum volo.

Vale Philoſophorum Medicorumque Princeps, vale per ſecula ad Litterarum felicitatem.

Data Foro - Cornelii in Æmilia quinto Idus Septembris anno ab Æra chriſtiana 1769.

284.

ANTONIUS CAPDEVILA.

Si valetis bene eſt, nos vero valemus. Litteras accepiſti noſtras datas Tavarræ Spartariæ Cal. Aprileas 1767. una cum Mariæ Perezii Paſtoris variolarum inoculationis diſſertatione, Piquerii inſtitutionum Medicorum judicio, & Querii Floræ Hiſpanæ III. & IIII. vol. Querii ulteriora volumina, adfecta, videbit nemo. Michaele Barnadeſio Regis Botanices Prof. Madridenſi, viro ingratiſſimo & avaro plantas DCCC. examinandas dedimus, quarum plurimas cæteris incognitas, ſi ei fides danda, quas mihi extorſit; in priori principiorum Botanices parte Madridii apud Am. Perezium ſolo 1767. edita modo Cl. Linnæum Teque laudat, modo ſupra modum contemnit, Tourneſortiana doctrina mediocriter eruditus, quare Tuam Botanices, & Linnæi doctrinam ſummam & eruditionem inſignem, haud intelligit. Reliquas, & CCCCXXXV. quas in Horto Pharmacopolarum Madridenſi, & in regio ſuburbio legimus plantas Danieli Scheidenburgio, viro ingratiſſimo dedimus, ut ad Cl. Bergium Stokholmiæ Botanices Prof. Reg. mitteret. In regio noſocomio Madridenſi Anat. deſectiones a Johanne Gomezio Anatomes Prof. regio perfectas vidimus. Hortus regius (vulgo rupes calientes) a regia urbe 11. lapidibus prope Manzanares ripam ampliſſimus, adfectus haud perfectus ob Barnadeſii deſidiam,

diam, & socordiam. In bibliothecis Exmi. Medinæ Cœli Ducis, ac Regia haud pauci extant Hispanorum, Lusitanorum exterorumque abhinc II. sæculis rei medicæ scriptores, quorum notitiam claris viris Nicolao Antonio, Seguerio, Præceptori olim nostro nunquam sine laude nominando, Rodriguezio, Ximeno, Jacobo Borbosæ Machado Lusitano s. debemus. Ob bibliothecæ regiæ Præfecti desidiam, socordiam Optimus Rex noster an. 1761. jussit typographiam regiam, atque bibliothecam ædificare ampliorem, & universi orbis scriptores, & MSS. emere, sed dormitat Homerus: in bibliotheca reg. tuam discendi medicinam methodum vidimus, tua reliqua opera ultra Pyrenæos nusquam. Piquerii Praxis med. binas partes, Barnadesii priorem, posteriorem (ob Prof. Botanices nostratum Academiarum ignorantiam) videbit nemo. Plantas siccas majores, conspectum nostrum Medicorum Hisp. & Lusitanorum chronologicum Tibi curabo, ad Te Cal. Novembris 1770. mittamus, eo uti velimus Cl. V. ut Tua Medicorum Bibliotheca lucem videat completior, quam tuo animo moliris. Cl. Michaelis Casiri Bibliothecæ arabico-hispanæ vol. II. abhinc II. annis editum haud expectamus videre, qua causa si scires, stupefactus esses. Maxima cum lætitia affectus de Cl. Tissoti Megapolitani Ducis Archiatri honore, eum potentissimi Hispaniarum Regis Archiatrum exoptamus videre, ob ejus doctrinam summam ac eruditionem eximiam. Rei medicæ nostrates variolarum inoculationem Reipublicæ saluti noxiam supremo Castellæ Senatui renuntiarunt;

Vincentius Perezius Valentinus, regiæ familiæ Medicus, nuper hoc de argumento dissertationem publici juris fecit, invito Castellæ supremo Senatu. Exmi. Arandæ Comitis decreto omissis Fanaticis Madridensibus, quorum fictis causis cognoscentes opprimunt, ad Provinciam Karthaginensem redimus, ut pacato animo omnibus medicinæ partibus toto pectore incumberemus.

Vale, Ills. Vir Europæ decus & ornamentum maximum, salutem tuam cura diligenter, uxorem, filios filiasque, Cl. Tissotum & Franciscum Grassetum meo nomine plurimum saluta. Tui amantem redama.

Tavarræ prope novam Karthaginem die XV. Octobris 1769.

285.

JOH. GESNERUS.

Etiamnum me molestus catarrhus cum exanthematibus junctus detinet, & ab occupationibus publicis impedit, dum regimen sudoris per totum matutinum tempus fere imperat. Ex usu Corticis Peruviani & Quassiæ meliuscule habere cœpi.

Ex obitu carissimi & desideratissimi amici D. Ottii summum dolorem & maximam jacturam passi sumus. Obiit ex inopinato & subito prolapsu intestini, in herniam incarceratam degenerante.

rante. Non antea nullum herniæ indicium sentiebat, sed tumentem saltem hujus lateris testiculum & funiculum spermaticum; ut etiam suspicio herniæ evanescere cœperit, & expertissimus noster Burkardus repositionem frustra tentavit. Docuit v. sectio cadaveris exiguam ilei portionem vix pollicem longam, verum totam gangrenosam, annulo constrictam. Societas nostra physica imprimis in Botanicis & Oeconomicis hunc amicum desiderabit.

Vale Vir Illustris & Amicissime, mihique favere perge.

Turici d. 16. Dec. 1769.

286.

JOH. GESNERUS.

Cum litteratissimus Hottingerus, dignus Hottingerianæ eruditionis hæres, per Bernam Ebrodunum tendat, paucis hisce verbis ei ad Te Vir Amicissime aditum parare constitui, tuæque humanitati eum commendare. Tradet Tibi a se elaboratam commentatiunculam de miraculis, specimen suæ in humanioribus litteris diligentiæ, qua se venerandis Præsidibus multum probavit, ut cum applausu in numerum V. D. Ministrorum sit receptus, & ab Ampliss. Magistratu præmio, pro instituendo itinere litterario, sit condecoratus. Philologiæ impr. & Metaphysicæ præcipuam operam dedit, parciorem Physicæ: cæterum in literis

ris eos profectus fecit, ut ſpes ſit, eum aliquando patriæ utilem operam præſtiturum eſſe.

Turici d. 6. Januar. MDCCLXX.

P. S. In latere orientali montium urbi noſtræ imminentium collis inſignis *der Geisberg*, qui monti Thuricenſi eſt ſubjectus, ipſis Calendis Januarii gliſcere cœpit & fiſſuras agere, & pauca quædam jugera a cohæſione priſtina ſoluta depreſſiorem nunc ſitum obtinent, & ab urgente ſuperiore maſſa aliquot vineæ ſunt deſtructæ. Cum mons aquarum ſit feraciſſimus, forte vena quædam arena elota cavitates effecit, in quas continuis pluviis emollita & laxior terra ſubſedit.

287.

ANTONIUS PEPE.

Omnes induſtriæ meæ fructus & fortunæ uberrime ſatis collegiſſe autumavi, cum Tu, Vir Ornatiſſime, medicæ facultatis decus & ornamentum, atque in toto orbe litterario clarus, & egregius, & de eo ſatis ſuperque bene meritus, tenuiſſimos labores meos haud invito animo receperis, neque eos refelliſſe ex epiſtola tua manifeſte perceperim. Quas igitur gratias gratiſſimus Tibi geram, & quanti benevolo animo Te faciam, tua potius conjectura ex acceptis beneficiis intelligere, quam mea mox ſcribendi vis Tibi poterit enucleare.

Interim

Interim clarissimis Medicis Neapolitanis, qui Te præ aliis viris bonis jure quidem merito admirantur, & colunt, medicam Bibliothecam (summum sane opus) novissimis authoribus, sententiisque tuis præclaram & ditissimam, ut sperare licet, nunc temporis facere, & præ foribus esse summopere arrisit, ac Te rogatum volunt, ut quam citissime in lucem edas.

Ne tandem aliquid omittam, scias velim, quod, licet Cosmus Moschettinus sit in Provincia à nobis satis dissita, redux jam ad patriam; quæ tamen mihi jussisti, statim ei patefacere per litteras curasse.

Hinc non sine mei cordis mœrore dignos nostrorum Medicos conatus post Jacobum Toppium, quorum titulos,. & alia petita mittere deberem, non habeo. Quamvis enim non deficiant hic homines litteratissimi, & in medica Provincia versatissimi, neque solum Parthenopæum (Domino secundo) invideat alteri cœlo, cum tamen deficiant præmia, & alter alterius fortunam detrahere satagat atque mordicus dilaniet, nemini ullum opus industria & debita diligentia elaboratum nunc construere facile licet. Produnt solum frequentissime dissertatiunculæ nonnullæ luce dignæ, & omni ornatu præditæ, ut primum novum aliquod naturæ phænomenon interpretandum occurrit. Plures epidemicam constitutionem, quæ anno 1764. hanc civitatem crudeliter afflixit, ordine physico medico descripserunt, quos inter Thomas Fasano regius Professor Physicæ rerum vario-

varietate, atque verborum delectu rem tantam satis fuſe eſt proſequutus - ſubſtita. Della febbre epidemica ſofferta in Napoli l'anno 1764. Lib. III. di Tommaſo Faſano.

De eodem malo diſertiſſimus Phyſicus, & Mathematicus Cæleſtinus Cominale accuratiſſime ſcripſit, ut prætercam Michaelem Sarconium, qui de eadem materia italico ſermone nimis concinne loquitur, aliosque quamplures; cujus titulus:

Hiſtoria phyſico-medica epidemiæ Neapolitanæ anni 1764. opera, ac ſtudio Cæleſtini Cominale elucubrata.

Honeſtiſſimus & alter noſter Profeſſor hæc noviter quoque non inglorie exaravit. Delle morti, e malattie ſubitanee del Dottore di medicina e filoſofia Paſquale Ferraro.

Nec non idem ex idiomate anglico in italicum ſequens Lexicon non inerudite traduxit, & aliquantiſper ſæpe ſæpius locupletavit, cujus titulus: Dizionario pratico - medico, e Ceruſico portatile, o ſia Compendio dell - intera Pratica medica, e Ceruſica del Dottor James compoſto da un Socio dell - Illuſtre Academia di Londra --- Tom. I. Dizionario farmaceutico chimico portatile, o ſia Compendio di Farmacia, è di Chimica compoſto da un Socio e come ſopra --- tom. III.

Denique Vir omni laude digniſſimus Carolus Curtius xenodochii incurabilium primarius Profeſſor,

ſeſſor, & unus ex noſtris præclariſſimis Clinicis aliquibus abhinc annis ſequentem diſſertationem valde diſerram emanavit ſub titulo:

Diſcuſſione anatomiche pratiche di un raro, eſtravagante morbo cutaneo in una Giovane Donna felicemente curato, in queſto grande oſpedale del-Incurabili, indirizatte al chiarismo. Sigre. Abate Nollet Membro della Reale Academia.

Extat & hæc cedro digna diſſertatio ob ſummam eruditionem, quamvis mole, parva a Filio præſtantiſſimi Profeſſoris Michaelis Angeli Ruberto cogitata & facta nova morbillorum obſervatio a Cajetano Ruberto in Regio Archigymnaſio extraordinario Profeſſore deſcripta & Excellentiſſimo Swietenio dicata.

Franciſcus Merli ſibi minus, magis aliis glorioſe vivens hæc, & alia produxit - - metodo di dare le unzioni di mercurio nel nuovo oſpidale di Chiaia - - Ulterius - - Guida medica intorno all uſo del Caffè, e Cioccolatte di Franceſco Merli primo Medico degli eſerciti, e ſpedali del Rè delle due Sicilie diviſa in tre parti.

Deinde quidam meritiſſimus Sacerdos, qui artem noſtram honeſte nimis exercet, phyſice recurrentem ferream generationem in quodam tumore in collo ruſticæ feminæ nato explicavit, cujus titulus:

Ragionamento iſtorico fiſico del Dottor D. Nicola

Nicola Sernicola sul caso di una Donna Siderogona felicemente curata.

Quæ tandem de variolis cogitarunt, & brevi producent duo clarissimi viri Michael Sarconius & Dominicus Cotunnius neque possum satis scire, neque hoc curare debeo, cum credam authores ipsos hisce Te conscium fecisse. Et mox hoc Lexicon in lucem edidit Aretanius. Dizionario istorico - medico del Sig^{re}. Eloy tradotto dal Francese collaggiunta di molti articoli diviso in sette Tomi da Pietro Aretano Medico Napolitano.

Postremo hoc unum Te flagitatum volo, ut tuam nobilissimam vitam magni facias, ut Tecum dignitas artis nostræ diu vivat. Ego vero, quantum possum, & mihi sperare datum est, a Summo Numine annos multos Tibi precor, & sat erit, ut Tu, Vir Excellentissime, pro tua humanitate mei reminiscaris & me diligas. Vale.

Datum Neapoli die 10. Aprilis 1770.

288.

JOSEPH ROVATTI.

Novissimum, quod innuam naturæ phænomenon, quodque inter innumera, quæ magno varioque naturæ penu contingunt, non percommune & leve censetur, me dulciter exstimulat ad calamum

calamum capessendum, ut ad Te Illustriss. & famigeratissime Vir, de hoc epistolam mittere audeam, quod forsan nostros nondum prætergreditur fines, & consequenter Te fortasse etiam latet. Hoc idem pertinet ad puerum in utero rusticæ matris a septimo circiter conceptionis mense, non una vice, sed pluribus vagientem: quæ res non solum re medica illustrium, sed aliorum etiam virorum curiositatem maxime excitavit.

Ut rem clarius exordiar, sine me dicere, exaratam rem fuisse magnæ litis principium. Alii, qui mulierem adiverunt, & quos experientia & observatio non falsa, aut levi arte instituta dulciter flectunt, nec qui omnia, quæ intelligere nequeunt, negant, inter difficillima quidem, sed vera naturæ phænomena rem reponunt. Alii factum irrident, inter fabellas, quas vulgo venditat credulus bonorum hominum & vetularum popellus, illud collocare censent, & ad summum ajunt, suppositum infantuli oris sonum explicari posse, per quandam ex matris intestinorum canali flatuum eruptionem, seu fluctuationem humorum vagitus aliquo modo imitantium: sic factum explicando, sicuti & explicarat olim Dom. *Verheyen Supplem. Anatom. Tract. V. c.* 18. illud a clariss. *Boyleo* relatum. Attamen nescio, quo pacto observatio in casu nostro non dubia, sed pluries attentissime repetita, & sibi eadem æqualis reperta, negari possit. Nonnulli alii non desunt, qui non solum hisce succenturiantur, & vagitus existimant meram somniantis fabellam, sed absque

ingenuo, ut patet, Philoſophorum candore, aut hujusmodi feminam eſſe pernegant, aut illam inter mulieres hypochondriacas ſeu delirantes compingunt; & ſicuti omni credulitate donatos illos illudunt, qui vagitus ſuſtinent; quamvis & ipſi mulierem interrogaverint, & mulier ſanæ lucidæque mentis habitu polleat. Hos tali pacto phænomeni negatores enunciare mihi placuit, nam ſicut apud nonnullos, qui ſe huic certamini miſcent, negatio ab iſtorum negatione dependet, ſic hoc debile pateat negationis fundamentale principium.

Inter hos bellicos rei litterariæ tumultus, quibus noſtra nunc premitur regio, rem vere cognoſcere exoptans, etſi non medicam, neve aliam facultatem profitear, & ſolum juvenili in pectore maximum exardeat ſciendi ſtudium, nonnullis diebus tranſactis recepi, ut ſi non obſervationum (non enim tantum diligentia, ſed magis etiam tali occaſione fortuna valet) ſaltem interrogationum tentamina ſubirem; nec incaſſum; labor improbus enim mea cum incredibili alacritate curioſitatem noſtram ſatisfecit. Meam hunc ob finem villulam petii; & ſimul cum Excellentiſſimo Dom. *Aloyſio Campana*, medicam praxin exercente, & primo hoc phænomenon enuntiante, mulierem viſitavi, quæ agrum Bononienſem habitat nuncupatum *la Palata*. Hanc reperi adhuc vivida & florenti ætate donatam, & alia tantum vice, ſicuti ait, expertam imprægnationis, & inde partus labores. Ibi omnia ad trutinam revocavi, &

ſi in

ſi in rebus phyſicis experientiâ valet, ſicuti non valere non poteſt, detexi, citra omnem dubitationis aleam, perquantum apparet, veritati favere qui non adverſantur vagitibus: namque multoties inquiſita de infantuli in utero ſuo latentis voce, reſpondit, ſane veridicum & conſtans eſſe, ſe pluries illam audiſſe. Ut offendiculum autem auferrem, quod maxima adverſariorum eſt vis, eam interrogare mihi perplacuit, num unquam venter patiatur flatuum ſeu erumpentium, ſeu aberrantium tumultus: & reſpondit, ſe nunquam nec primo gravitatis tempore, nec alio ſuæ vitæ momento, hoc pertuliſſe, & inſuper certo quidem cognoſcere, exauditam eſſe veram infantuli vocem editam a parvulo, quem nunc ille habitat, mundo ei a ſapientiſſimo rerum omnium Opifice ſumma cum providentia parato.

Nec mulier ſolum, ſed ejus vir, ut ille candide teſtatus eſt, & alii non ſolum domi, ſed etiam foras hanc vocem audierunt, & Parochus ipſe data opportunitate, rerumque urgentia, hoc jurejurando affirmavit.

Duodecima circiter Decembris die ſuperioris anni, videlicet ſeptimeſtri circiter fœtus ætate cœpit mulier audire vagitus, & ſubſequente tempore hi uſque uſque adhuc prodierunt; nam die quinta hujus menſis Februarii mihi petenti ait, ſe nonnullos ſenſiſſe nocte diem aut ſecundam, aut tertiam ejusdem menſis ſequente. A quinta uſque ad præſentem neſcio, namque ab illa die non eam amplius vidi, nec ulla mihi eſt data relatio.

Hi vagitus frequentiores apparent cubante femina toro, quam ſint ea non acquieſcente cubili. Aliquando una eademque nocte eos iteratis vicibus audiit. Sed non ſingulis ſentiuntur noctibus; nam modo unius, modo duarum, trium, quatuor, ſex & etiam octo noctium interruptio ſuccedit, in quibus nulla perſonat vox, teſte muliere, aut ſaltem inaudita remanet. Alias audiuntur aliquibus noctibus ſubſequentibus, nullam obſervans puer vagiendi periodum, ſed tunc, ſua methodo, perſtrepit ore, cum eum forte moleſtia opprimit; ut omnes tenelli parvuli in lato etiam mundo agere ſolent. Nec dubitari poteſt, num mulier hoc callide fingere queat ſeu lucri amore, ſeu aliqua conſimili cauſa, nam tunc credulas gentes eam viſitantes illuderet, non maximus mortis pavor turbaret animum, ſicut & facit, nam & inſolens phænomenon, & frequentes naturæ curioſorum medicorumque aditus, & imprudens ſimul & mendax cujusdam femellæ prognoſticum (ajentis ſi fœtus vagit aut mater eſt peritura aut fœtus) eam incitarunt ad incredibilem animi moleſtiam, ut ab extenuati corporis macie, aliiſque circumſtantiis omnes cognoverunt. Inſuper nec cauſam videre queo, cur ea factum falſiter divulgaret; pretium enim non convenit; tamen frequens incommodum ob ſæpe iteratos medicorum aliorumque naturæ curioſorum acceſſus, qui ſatisfacere nequeunt villicorum artificumque genio & operibus.

Nunc etiam monitum facio, hujus infantuli in utero ſubſultus, teſte matre, majores eſſe, & gran-

grandiori alacritate peractos, quam motus uterini alius pueri, quem mater olim prodiderat mundo, nam, ut ſupra diximus, aliam propter graviditatem dulciſſimo parentis nomine gaviſa eſt. Scire volui, num imprægnationis tempore aliquid effluxerit ab utero ſanguinis ſive periodico fluxu, ſive abſque ulla periodo. Reſpondit ſe optime extra graviditatem menſtruis purgationibus frui, attamen nihil ab utero effluxuum præſenti circumſtantia obſervaſſe.

Ecce Illuſtriſſ. & Celebratiſſ. Domine, vera phænomeni hiſtoria, quæ tranſactis diebus tantam peperit litem, & lis adhuc remanet. Qui vagitibus favent, experientiis nituntur; & inſuper vis creſcit & robur, nam ſimilium naturæ rerum teſtes inveniuntur in tuo elaboratiſſimo opere, cui titulus *Elementa Phyſiologiæ corporis humani* Tom. 8. Lib. 29. §. 51. & poſt allata Auctorum nomina aſſerit: *Hi & priorum plerique exaudita.* Nec ſolum hoc propter; ſed etiam quia videtur poſſe aliquo modo tua doctrina rem explicare, ſi aliquis verba evolverit, quæ in eodem magno opere *ibid. pag.* 402. *edit. Bern.* leguntur, & quæ referre mihi licebit. „ Vagitus uterinus, ſi vere aliquando ſunt exauditi, videntur peculiarem poſcere caſum, in quo membranæ quidem ruptæ ſint, quod non infrequenter ante partum fit („*Giornal. di Litterat. Supplem. III. p.* 112.) & „ perpetuum eſt in partu longo, & laborioſo, in „ cujus principio aquæ effluxerunt, & in quo nihilo „ ſecius aliquot poſt dies fœtus adhuc vitalis ſequi„ tur".

„ tur". Unde non intempestiva, immo justissima res est eventum, qui per Te maxime sustentatur, in tuam lucem proferri : & ego summe alacriter gaudeo, hunc Tibi mea propter verba patere : & occasionem arripiens, Tibi meam venerationem ostendere, quam erga Te, & tuos sane mirandos labores concesserat animus, & nunc lætissime ad Te avolat. Immo etiam, si mihi tam magnum scisсitari licet oraculum, Te humiliter deprecor, ut si post tui a me allati operis impressionem, Tibi aliquid non dissimile accidisset mihi tribuas, ut factum novis tuis observationibus illustretur & negatores sileant.

Scribere Tibi audeo, & si nec per epistolas anteactas nec mediis usque adhuc operibus Tibi cognitus sim, magni enim viri non indigent consuetudine, ut ab hominibus, sicut ego, minoribus litteras Palladi sacras accipere velint: & amplius forsan exposita observatio non sine aliqua animi voluptate a Te accepta est; quamquam rudis, & nulla perpolita elegantia, aliisque observationibus exornetur.

Si in partu jamjam maturationem assequenti aliquid insoliti accidet, Te rei participem habeam, dummodo hæc Tibi ingrata non sit, & mihi permittas, ut tam magnum, & apprime carum honorem accipiam.

Vale Decus magnum artis *Hippocratis* & qui nostri, quod per Te unicum posset inter omnia sæcula

ſæcula eminere, Te ad beneficium humanitatis incolumem ſerva, & ſine, tuis me fauſtiſſimis ſub auſpiciis collocare poſſe.

Dabam Mutinæ die 8. Februarii 1770.

289.

CALDANIUS.

Aliqua ad Te dedi per Somiſium quindecim abhinc diebus: minima ſunt, ſed inter & minima opuſculum invenies a me nunc in lucem editum, quod amorem erga Te meum publice ſignificat. Videbis quid a nonnullis contra Te atque me ipſum molitum fuerit in hac Univerſitate: addidi contrarium opuſculum, quod meo promptiſſimam dedit occaſionem. Auxi plurimum, niſi penitus fallor, ſententiæ argumenta; quibus neſcio quomodo reſpondebit vafer .... Si tamen reſpondebit, in ea ego ſum ſententia, ut a lite declinem; quod ſi eveniat, vellem, Vir Præſtantiſſime, ubi Tu nequeas me ipſum tueri pro rerum copia, quibus circumdaris, aliquem invenires, qui mihi otium faciat moleſti laboris: moleſtum enim eſt homini aliis curis diſtento in his rebus tempus terere, præſertim cum in alio opere conſcribendo dies ponam, quod fortaſſe ad Te manuſcriptum hactenus miſiſſem, rogans ut ejus editionem curares, niſi reſponſa quædam, quæ ex Melita exſpecta, nimis tarda eſſent; tum etiam moleſtum, quia facile nimis eſt ſevere di-

cere in hominem, qui etiam in operibus practicis fallacia multa atque inutilia congessit. Scias interim ex addita epistola quid Haenio scripserim, & scias etiam auctorem epistolæ inscriptæ Triumviris litterariis objurgatum fuisse ab ipsis Triumviris, quod eorum nomen simplicissimæ & perversæ traductioni inscripserit: hoc ... magnopere displicuit, qui traductorem amat ob id tantum quod me comprimit. Libellum *Carlucci* nunquam vidi, & titulum ignoro, atque locum editionis.

Vale Amice Præstantissime ac Celeberrime, meque, ut soles, amare perge.

Dabam Patavii 2. Junii 1770.

Viro Clarissimo D. Haenio &c. Caldanius S.

Examini, quod nunc in lucem prodit Tibi inscriptum, occasionem dedit tuus ni fallor amicus, qui, ut per Celeberrimi Halleri latus me ipsum vulneraret, Caput VII. Operis tui XII. in italicam linguam transtulit, & publici juris fecit. Quanquam ne hoc quidem me litterariis laboribus quotidie distentum ad hanc curam vocasset, nisi subdola interpretatiunculæ illi præfixa epistola mihi vel nolenti calcar admovisset. Non est cur metuam, opellam hanc ægrè a Te acceptum iri, tum quia nihil in ea continetur aut asperum aut contumeliosum, tum quia Tu ipse hujus laboris mei suasor atque instinctor fuisti, cum scriseris *Caldanum ob multa clarum Hallerianæ doctri-*

næ

næ principem propugnatorem esse, ut non tam Halleri decus, quam meam quoque existimationem tueri coactus fuerim. Vale Tibi & litterariæ reipublicæ, meque Tui admiratorem & amicum libenter excipe: at interim cogita me anatomicis atque chirurgicis administrationibus ita fuisse innutritum, ut non facile mihi fucum fieri permittam.

290.

CALDANIUS.

Cave quæso ne scalis iterum procumbas: obesus ut es, facile in similia offendes pericula, nisi cautiones omnes adhibeas. Lætor tamen, quod absque damno id evenerit, & quod tandem cogitationem omnem dimiseris, de patria iterum relinquenda. Summis honoribus sæpius cumulatus, atque iis præcipue, quos maxima doctrina tua Tibi comparavit, quique Te immortalem fecerunt, quibus aliis honoribus iisque præstantioribus affici unquam potes? Utinam & mihi datum esset tranquillam vitam sub hoc cœlo ducere! verum hoc impossibile prorsus est. Non satis dici potest, quibus vexer animi affectionibus propter . . . . . . impietatem & conviciorum multitudinem, quibus obruor quotidie. Aprili mense proximo finem imponam sexto anno, ex quo ad primariam hanc medicinæ cathedram evectus sum. Homini, qui litteris delectatur, nihil magis arridere debet, quam animi

quies a me nunquam exſpectanda. Cura igitur, Amice præſtantiſſime, hoc menſium curriculo, ... ſedem aliquam honeſtam. Auctoritas tua, quæ magna eſt, & illuſtrium amicorum copia potuit eam . . . . quietem comparare, quam vehementer exoptat.

Menſis jam excurrit, ex quo dyſenteria laboro. Tantum hodie morbus videtur aliquantulum remittere.

Idem Typographus, qui edidit libros Morgagni de Sedibus ſ. novam dedit, eamque peſſimam editionem epiſtolarum Morgagni in Valſalvam, & Adverſariorum.

Vale Vir Celeberrime & rebus meis fave.

Dabam Patavii 15. Septembr. 1770.

291.

B. L. TRALLES.

Verbis idoneis exprimere nequeo, quanta voluptate conſpexerim litteras tua Vir Summe! manu exaratas. Utinam earum argumentum eſſet lætius! aut dum tale non eſt, utinam is eſſem, qui certiſſima de iis, quæ a me reſcire cupis, ad Te perſcribere poſſem. Mire varius rumor eſt, qui de peſte in Polonia vicina graſſante, ad nos volat. Modo enim peſſima quævis memorantur, modo omnem metum inanem eſſe fertur. Id certum eſt, proſpexiſſe paternis curis & Imperatorem, & Regem noſtrum, ne contagium, ſi tale adfuerit, in Hungariam & Sileſiam facile proſerpat. Sunt tamen, qui, licet providentiam hanc venerentur & collaudent, eam nondum adeo neceſſariam eſſe ſtatuunt. Nemini medentum ad hunc diem juſſu publico demandatum eſt, ut abeat, & curatius inquirat. En quæ ante 8. dies ad me perſcripſit celebris ſatis Medicus Polonus, ex oppido Rawitſch 8. milliaribus ab urbe noſtra diſtante.

„ Deo ſunt grates apud nos puriſſimo aëre
„ fruimur, neque tot ægrotantes habemus, quot
„ alioquin hoc anni tempore numerari ſolent.
„ De vera peſte Varſavia & Leopoli (Lemberg)
„ nil nunciatur, quanquam putridæ febres obſer-
„ vantur. Sed Polonis in more poſitum eſt, &
„ morbum gallicum, & peſtem tamdiu occulta-
„ re, donec nullum amplius auxilium ſuperſit.

Vides

Vides Vir Summe! quam difficile ſit vera elicere a . . . ., quæ in confuſionibus, in mendaciis, in fraudibus inque rapinis ſibi placet, omnique ſanæ rationi ſæpe ſæpius renuntiare amat, quod ſalvo pauciorum honore dixerim.

Diu eſt ex quo talem fere illam eſſe ſcivi, eaque propter in futurum ſapiens munus Archiatri regii modeſte deprecatus ſum, quod Cel. Herrenſchwand Helvetus, qui me Varſaviam abiens ſalutavit, lubens ſuſceperat, verum ſat cito iterum poſuit.

Felicem Te prædico Incomparabilis Hallere! quod Reipublicæ commodis inſervias, quod amatis tuis ſtudiis delectari pergas, a turbulenta praxi liber, quæ millenis impoſſibilitatibus, incertitudinibus & tædiis aliis tota referta eſt. Ego poſtquam illa per 40. annos expertus ſum, a medicina facienda me abdicare, & pacata ruris ſilentia circa Sudetes noſtros quærere anhelavi; ſed vetant hoc obſtacula œconomica, poſtquam magnam facultatum partarum partem, per mercatorum fraudes amiſi, fereque invitus ægris inſervire cogor.

Subſecivas horulas religionis veritatibus indagandis plerumque dico, interque dulces has meditationes, licet in principiis Lutheranis educatus ſim. totus Reformatus ſum redditus circa S. Euchariſtiam, abſoluto decreto neutiquam ſubſcribens, quod niſi cum grano ſalis magno explicetur,

plicetur, abhorrere a juſtitia & amore DEI, qui nos omnes ſalvos vult, judico. Varia conjeci in chartas, quas relinquam poſteris, brevem quæ ſupereſt vitæ particulam diſputationibus cum Theologis noſtratibus haud perditurus.

Magno me beneficio adfecit tuus & meus amatiſſimus Tiſſotus, quod in egregio ſermone de valetudine Litteratorum, me Theologis Medicis annumerare, Tibique ad latus ponere (at quam minus ægris paſſubus Te ſequor) non dubitaverit.

Cæterum eodem anno Tecum natus, ſed aliquot menſibus ætate major, vires multum decreſcere ſentio, & ad curſitationes practicas in dies ineptior.

Nil miror, Te ſubinde vertigines pati, qui omnes animi corporisque nervos ad prodigium intendiſti a teneris, mortalium occupatiſſimus. Tempus certe vitæ meæ laboribus abſumſi, ſed deſidioſus fui Tui intuitu, & tamen caput grave & obtuſum plerumque ſentio. Faxit Deus! ut ad ultimum ſenium ſuperſtes rejuveneſcas in dies, maneasque adhuc diu ſcientiarum, veritatumque Inventor, Stator, Promotor. Amo . . . ., virum magnum, quod tandem juſtus in tua merita, blanditer Te compellare inceperit.

Quanta

Quanta voluptate clauderem mortales meos oculos, ſi vel per aliquot momentâ Te antea vidiſſem, qui tuam imaginem Elementis Phyſiologiæ, quantus ſis ubivis commonſtrantibus, præfixum, reformatus, pene catholica veneratione contemplor ſæpiuſcule. Patere Eximie Hallere! ut imaginationis meæ viribus ad ſummum apicem evectis, abſentis amabile os, quod tam præclara ſcripſit, totus amore ardens exoſculer. Indulge puriſſimo affectui! vive & vige, ſero æterna præmia capeſſe, & me amare perge.

Scribebam Uratisl. die 2. Octob. MDCCLXX.

292.

A. G. KAESTNER.

Sunt Aſtronomi duo Britanni, quos ſcio libenter nomina ſua ſocietati noſtræ ſcientiarum daturos, ut qui conquesti ſunt, quod tam parum commercii intercedat Germaniæ cum Brittannia. Alter eſt Dom. Maskelyne, Aſtronomus Grenovicenſis, itineribus maritimis, & aſtronomia ad uſus nauticos translata celebris, qui curando ut Mayeri Tabulæ lunares prodirent, de ipſa Gottinga bene meruit: alter Dom. Demanbray multum gratia valens apud Regem, cui adeſt Richmondiæ ſtellarum cœlique plagis ſuperisque vacanti, itaque crediderim recte illos *ſodales exteros* cooptatum iri, qua de re Te Vir Perilluſtris conſulere oportet.

In

In iis quæ dixisti de commentariis Academiæ Prussicæ 1767. . . . Asiæ, Europæ, Africæ continentem naturæ convenienter mari circumfluam pinxit, certe non *homericè*, neque enim ei plus negotii est cum Homero quam Gleimio cum Eulero. Sed ille angulorum prosilientium & intus euntium parallelismus, statim cum apud Dom. de Buffon legissem, unum ex multis ejus viri commentis visus mihi est, & gavisus sum, quod idem Tu Vir Perillustris indicares. Ego aliud quid habeo contra tabulam orbis terrarum, nempe quod hydrographica est, adeoque faciem superficiei telluris nullo modo exhibet, sed parallela ostendere potest litora, ubi non sunt, & non parallela ubi sunt. Id viro nuper scripsi. Vale Vir Perillustris & mihi porro fave.

Dab. Gottingæ die 29. Oct. 1770.

293.

CALDANIUS.

Nuper Pujati liber posthumus editus est: quinque continet dissertationes non certe bonas: ex prælectionibus conflantur, quas ille propriis auditoribus ex hoc Lyceo tradebat: altera pertinet ad hypotheses ablegandas a praxi medica, eaque occasione Boerhaavium carpit, qui acrimonias in humoribus nasci posse existimavit: secunda methodum docet philosophandi in re medica, quo loco plura de morborum causis dicit, & historiolas

las medicas ſibi proponendas reſolvit nunc modo ſynthetico, nunc autem analytico, & plura diſſerit de utroque hoc modo reſolutionis tyronum digna. Tertia agit de putredine, cauſa & effectu febrium, ubi febres dividit in ve . . . ., & mixtas: monet ſanguinem non frequenter diſſolvi; acida per os aſſumpta & intra venas recepta ſanguinem ſolvere & humores, non autem cogere Quarta verſatur circa uſum vini in febribus, quem in genere magnopere commendat. Quinta ſubvertit Hippocraticam hypotheſim de præſtantia dierum criticorum. Notandum eſt in prioribus, hominem, qui contra hypotheſes clamat, plura explicare phænomena interventu ſpirituum animalium; quaſi horum præſentia atque ingenium demonſtratio eſſet, non hypotheſis. *Targa* Veronenſis novam dedit Celſi editionem cum variantibus. Ceterum textus Lindenianus eſt, & lacunas non implevit. *Toaldo* Aſtronomiæ Profeſſor tabulas dedit trigonometricas, & meteorologicas obſervationes; & lunam putat ſuis effluviis probabiliter conferre ad medicinam, ad agriculturam & alia. Mittam hæc omnia, ſi placent.

Vale,

Vale, Amice Illuſtr. ac Præſtantiſſime: rebus meis quæſo fave, & me amare perge.

Dabam Patavii die 9. Februarii 1771.

294.

ANTONIUS MATANI.

Quæ ſemper in me magna fuit, Vir Celeberrime, erga ægrotantes in publicis noſocomiis decumbentes vigilantia me ipſum impulit, ut Commentarium de noſocomiorum regimine elapſis annis in lucem emitterem. Nunc vero poſt alias inſtitutas obſervationes de integro, & numeris omnibus abſoluto tractatu concinnando meditatus ſum, quem ſub finem currentis anni publici juris me facturum ſpero. Sed opera tua etiam indigeo, Vir Celeberrime, ut nihil in eo deſideretur, quod utilitatem omnem ægrotantibus ipſis ſit allaturum. Jam aliorum operum uſus ſum, ut quidquid extra Italiam fieri ſolet intelligerem; ſed nondum ſatis; ſcire enim vellem, apud quos Scriptores inter veteres, ac recentiores, de noſocomiis ſermo inſtitutus inveniatur, qui ſint variarum urbium uſus præſertim in Helvetia, & alibi, quæ conſtitutiones & fundationes magis ſingulares, & quæ facienda ſupereſſent, ut medica, & chirurgica ſtudia magis magisque promoverentur. De veteri loquor inſtitutione, de munditie, de Præceptoribus, de remediis, de Academia medica inſtituenda, de adſtantibus, de conſcribendis morborum hiſtoriis & conſultationibus inſti-

tuendis, innumerisque aliis rebus, quas experimentis didici quibusdam cautionibus, regulisque esse peragendas. Grata mihi semper erunt, quæ circa rem hanc mecum humanissime communicabis, & quæ tum edita, tum inedita tuo, aliorumque favore transmittes. Tertium in Academia nostra Pisana volumen novi diarii litterarii prelo commissum est, pro cujus incremento Te rogo etiam nomine Provisoris Academiæ, ut eam opem ferre velis, quam aliis præstantissimis Viris impetravimus. Votis quæso meis arrideas velim, & dum anxie favorem tuum expecto Te obsecro, Vir Celeberrime, ut me ea, qua soles, benevolentia complectaris.

Vale & diu vive, veluti a Deo ex animo precor, ad perenne scientiarum incrementum.

Scribebam Pisis in Etruria postrid. Kal. Aprilis MDCCLXXI.

295.

CHRISTIANUS FRIDERICUS ROTTBÖLL.

Humanissimas tuas litteras mihique ob promissas helveticas plantas gratissimas accepi; an à me missa ad tuas pervenerunt manus scire desidero. Interim Tomus Actorum Hafniens. descriptiones continentium publicam lucem vidit; ubi, quæ de his notavi plantis, haurire potes; vellem imprimis, ut specimen Papaveris radicati nostri cum

cum Papavere veſtro helvetico conferres, ut ſcire poſſem, an hæ duæ, quod autumavi, unam eandemque conſtituant ſpeciem. Hyemis durities, quæ noſtros Bibliopolas ad nundinas Lipſienſes ire vetuit, nec mihi vel diſſertationes vel plantas mittere permiſit; habes hic quædam, plura poſtea, notitiam enim, de libris noſtratium medicis Tibi comparare ſtudebo. Præſentibus Tibi per Bibliopolam Philibert, qui etiam Genevæ officinam habet, meditationes meas de plantis contortis danico idiomate loco programmatis editas mitto. Explicatio iconis latina eſt; & textus ipſe latina vel germanica lingua cum argumentis prodibit vel hoc autumno vel vere proximo; ut tamen, ſi noſtram linguam ignores, aliquam libelli ideam habeas, ſummam contentorum hic accipe. 1°. Contortarum familiam minus bene in 2. ordines monogynas ſc. & digynas contendi, cum Echitidem, Tabernæmontanam, Cerberam Thevetiam propria obſervatione, & Plumeriam, atque Camerariam aliena, digynas inveni; idem de Vinca & Nerio (etiam juxta Tournefortium) valet, hac tamen cum differentia, ut ſtylos 2. concretos ſeu agglutinatos, non diſtinctos, ut priores, priores habeant. Stigma hiſce omnibus unicum eſt quod cum ſtylos ſejunctos conjungat, nova in ſyſtemate ſexuali affinitas ſub nomine Syngeneſiæ femininæ naſcitur (*a*). 2°. Apocynum Linnæi a conſortio Aſclepiadum ob fructum differentem debet transferri inter Echitem & Nerium affines vid. fig. VIII. 3°. Aſclepiadeas plantas

D 2 omnes

(*a*) vid. fig. icon. noſt. 1. 2. 3.

omnes post Jccquinum Decandras esse confirmavi, de Periploca tamen græca non adhuc satis certus sum. Vid. icon. fig. V. VI. VII. IX. X. XI. 4°. Apicem corporis truncati seu fundum dolioli tui inversi Asclepiadum stigma non esse, licet sæpe apices sive stigmata centro nectarii jungantur contra Lœflingium, Jacquinum, Adansonium evici, qua occasione lapsum Lœflingii Iter hisp. p. 214. & Jacquini Hist. Stirp. American. p. 81 -- 87. cuspidem Nectarii s. Dolii, pro stylo continuato habentium tetigi fig. VII. E. F. G. 5°. Characterem Asclepiadis completum juxta 8. species latino idiomate pag. 36. dedi, pulcerrimam fabricam monilia puellarum ex auribus pendula referentem fig. IX. exposui. 6°. Pari ratione Stapeliæ verum & completum characterem pag. 38. & fig. XI. & XII. tradidi 7°. Ut contortæ junctæ in systemate sexuali maneant, cum alias ob numerum staminum separari debeant, syngenesiam fœmininam post masculinam systemati inferri suasi, omnesque hic amandare contortas sub 2. ordinibus, *Pentandria* sc. Rauvolfiam & Ceropegiam complectente, & *Decandria* Asclepiadeas cunctas excluso Apocyno continente. Licet plures ex ultimo ordine stigmata sub apice Nectarii libera ab eodem remota habeant vid. fig. VII. E. & fig. IX. F. ob affinem tamen & consimilem structuram cum cæteris, quæ hæc centro Nectarii innectunt, removeri nequeunt, imprimis cum notæ classium artificiales non semper sint firmæ & immotæ, ut Didynamia, Tetradidynamia, Diadelphia nos docet. Quid in familia hac, quæ veram geni-

genitalium fabricam diu oculis Lynceis celavit, præstiti, tuo submitto judicio. Si rem satis momentosam habueris, novis Gœttingensibus litterariis ut inseras precor, cum aliter facile evenire possit, ut vel nemo sciat, vel aliquis sibi vindicet. De Decandria Asclepiadearum plures extant observationes Jacquini 1763. Linnæus, qui 1764. genera plantarum & 1767. systema naturæ edidit, ad has surdus fuit, misi ego libellum cum icone, visurus an adhuc naturæ obloqui pergat.

Centuriam Graminum præsertim calidarum regionum descripsi, icones XX. 64. species exhibentes manu dexterrima delineavi, sed Chalcographi & Typographi hic nimis rari sunt, modusque labores tales cum tantillo lucri in Bibliopolam transferendi, mihi adhuc non satis notus. Sylvam Scirporum, Cyperorum & Caricum continet, Andropogi plurimas species. Si mihi Andropogon Ravennæ Linn. & Distachyon concedere possis, rem pergratam feceris, imprimis cum ultimum a me ipso in Italia lectum in multis a tua descriptione in Hist. Stirp. Helveticarum secedat; Cyperum rotundum & esculentum L. jam vereor ne satis cognoscam. — Mitto cum Philibert, qui Genevæ simul & Hafniæ habitat, epistolam, libellum, dissertationes, plantas: si tua liberalitas botanica quædam dona mihi offerat, credo commodiorem occasionem nasci non posse, cum simul cum ipsius mercibus huc venire possent.

Vive & vale. Hafniæ die 21. Junii 1771.

Plantæ ſunt ex Inſula Caribica Stæ Crucis. Mitto iconem Cyperi ut puto Elati Linn. unam è XX. de quo ſupra, ſpeciminis loco exſculptam, Chalcographus pro labore 7. nummos Hollandicos petiit; vellem ſcire, anne peritiores Chalcographi, minusque cari in Germania haberi poſſent, vel num præſtaret opus vendere Bibliopolæ? ſi quis liberalem invenire poſſet.

296.

ANTONIUS DE HAEN.

Accepi tandem cariſſimum tuum donum Hippocraticum, elapſis abhinc duabus ſeptimanis. Laudare ſatis nequeo, innumeros tuos in commune bonum labores, quibus ſuſtinendis continuandisque neſcio quo demum pacto ſufficias, non minus multiplici negotiorum genere diſtractus, quam etiam ætate utcumque provectus. Profecto eximium adeo promotorem artis & ætas noſtra, & ſeri nepotes perpetuo celebrabunt. Faxit Deus ut diu adhuc medicinæ atque hiſtoriæ naturali præfulgeas, nec niſi ſero valde tranſeas ex tempore in beatam æternitatem.

Dabam Viennæ 3. Julii 1771.

297.

297.

DE LA CHENAL.

Dudum eſt, quod primum Bibliothecæ tuæ botanicæ Tomum abs Te acceperim, quem cum nullæ ei junctæ fuerint litteræ, cuinam tradam, verbulo indicare velis.

Cum ab amico quodam rogatus fuerim, ut illi conos vel ſemina Pini foliis quinis procurarem, multum me devincires, Vir Illuſtriſſime, ſi pro tua erga me benevolentia indicare mihi velles, undenam ea obtineri poſſint.

Grata fuit, Vir Illuſtriſſime, ad helveticam noſtram Pharmacopœam Præfatio, gratiſſima ad materiam medicam annotata. Breviſſimo temporis ſpatio & inter innumera fere aliena negotia Autor eam materiam medicam elaboravit, ut omnino multis iisque partim haud exiguis vitiis ſcateat.

Nuper Michelfeldæ nonnulli novi cives Baſilienſes detecti ſunt, Lentibularia minor, Typha minor, & Viola paluſtris Trachelii folio. Etiam in hortulo meo ſponte provenit præterito & hoc anno, hactenus noſtris in oris nondum obſervatum Marrubiaſtrum vulgare. Buphthalmum etiam olim rariſſimum incipit paſſim vulgatius fieri.

Rariores ſtirpes montanæ & ſubalpinæ, mire in hortulo meo pomeridiano ſole carente luxuriant. Erinus alpinus, Cacalia, Digitales omnes,

Petaſites flore albo, Chamæceraſus fructu gemino nigro, Laureola ſemper virens, Rhamnus inermis, Amelanchier, Chamæmeſpilus Cordi, Mahaleb, Heſperis inodora, Orchides haud paucæ, Thalictrum anguſtiſſimo folio, Pulſatilla, Leucojum alpinum flore ſulfureo &c.

Vale, Vir Illuſtriſſime, & favore tuo porro amplectere.

D. Baſil. d. 4. Julii 1771.

298.

DE la CHENAL.

A podagræ inſultu liberatum Te eſſe lætus ex tuis litteris accipio.

Carvifoliæ veræ faſciculum inſequente hebdomade per Joh. Kernen Collegii Bern. famulum accipies.

Secundum botanicæ Bibliothecæ tuæ Tomum brevi lucem aſpecturum valde gaudeo, & ut ad perficiendos reliquos medicæ Bibliothecæ Tomos firma valetudine fruaris ex animo voveo.

Alſine 870. nuper in aridioribus ad Birſam lecta eſt. Trixago 231. paſſim etiam in hortulo meo ſponte ſuccrevit, hactenus noſtris in oris nondum lecta.

Utique in Duvernoy Diſſ. Lathyri tui 438. & 439. deſcribuntur, poſterior §. 2. prior §. 4.

& hic

& hic quidem pro vulgatiore, minime pro novo neque absque nomine, cum copiosa satis ejus synonimia §. 5. exhibeatur, ut omnino botanicæ partis hujus dissertationis autor (qui reliquam ejus partem haud tetigit) iniquiorem paulo ejus in novis Litterar. Götting. recensionem ægrius ferat, &, ut verbulo revocetur vel corrigatur, expetat. [Sed nihil peccaverunt Gottingenses.]

Gratissimum faceres, Vir Illustrissime, si pro tua humanitate breviter indicare velles, an desiderati in ultimis meis litteris Pini foliis quinis coni vel & semina ejus Bernæ haberi possint nec ne.

Vale, Vir Illustrissime, & porro fave.

Dab. 10. Aug. 1771.

299.

CASIMIRUS CHRISTOPHORUS SCHMIDEL.

Maximam omnino Tibi dico, Vir Perillustris, gratiarum actionem, pro missis elegantissimis beatæ vestræ Helvetiæ speciminibus herbarum, & Tomo I°. Bibliothecæ botanicæ tuæ, maximi laboris & studii opere, una cum Nomenclatore. Singula quidem ad me pervenerant ante aliquot menses, ignosces autem, quæso, me citius non rescripsisse, plurimis laboribus cum interea implicitus essem. Summa interim cum

 voluptate

voluptate aperui chartas, in quibus herbæ ſiccæ repoſitæ erant, & in medias Alpes translatus iterum mihi videbar; quantus autem fuerit dolor meus, vix verbis exprimere poſſum, cum maximam ſpeciminum partem, quæ aliquam longitudinem haberent, in plura fruſta diffractam, pleraque etiam disjecta deprehenderim, & chartas omnes fere in globum convolutas. Summa mercatoris, cui cuncta credideras, incuriam unice accuſo, qui chartas, linteo ſaltem laxe incluſas, itinere longinquo tradi paſſus eſt. Gei tui Num. 1132. aliarum nitidiſſimarum plantarum jacturam præcipue ægre fero, quibus ne folium quidem unicum integrum manſit. Fragmenta interim iſta quoque mihi cariſſima ſunt, cum a Te proficiſcantur. Optarem utique, ut reddere Tibi poſſem, ſi non paria & æque grata dona, tamen aliquas gratæ mentis teſtificationes. Si quod igitur eſſe poterit officii genus, quo me Tibi commendare poſſem, me ad quævis habebis paratiſſimum.

Gratus etiam agnoſco, quod inter recenſionem operum Gesneri magni, mei etiam memineris: liberalitate Trewii, nunc beati, alio modo interim ſuffultus non fui, niſi ea, quod libros mihi commodaret, quos eo tempore ipſe non habebam. Cuncta enim, quæ hucuſque ſcripſi, etiam in Gesnerianis, gratis feci.

Cum in Hiſtoria tua plantarum helveticarum, quæ nuper ad me demum pervenit, deprehenderim, iconum mearum plantar. Tabulas ſaltem XIX.

XIX. apud Te esse, reliquas manipuli primi Tabulas, fasciculo inclusas tradidi generosissimo Viro juveni, Bar. de Reizenstein, Magistro Equorum & Cubiculario Principis nostri, qui cum itineris comite ornatissimo Viro Dno. Wezel, Serenissimi nostri ab epistolis, heri iter ingressus est per cultiorem Europam, studiorum & animi locupletandi causa. Hi per Argentoratum ad Vos tendunt, & Bernam adpellentes, Te meo nomine salutabunt, & fasciculum istum tradent, Lausannam petituri, ubi aliquot menses subsistent, & postmodum in Italiam pergent. Utrumque ob egregias animi dotes plurimum amo. Hos igitur Tibi commendatos habere si velles, ut sentiant, me aliquid apud Te valere, plurimum me Tibi devincies.

Eidem fasciculo inclusi specimina aliquot herbarum difficilium, apud nos occurrentium, de quibus si sententiam tuam mihi communicare velles, gratissimam omnino rem facies. Semina singularum mittere potero, si placet.

Summum, quod veneramur, Numen, ut incolumem & salvum Te servet in serissimos annos, ex animo opto.

Vale etiam atque etiam, & me inposterum ama.

Dabam Onoldi ad d. XIV. Aug. 1771.

300.

JACOBUS KITTIUS.

Semper ea, quæ jubes, Hallere *dignissime*, quantum in me est, impleta dare studebo, si hæc jussa tua, commoditati meæ, quædam contraria requirerent; semper fuerunt hæc summa nostra vota — ut quemadmodum in *actionibus* propositum est, naturam — (universi inter se & veritatem compagem) sequi, ita & *contemplatione* tales sequamur viros duces, qui per *luminosas* regiones ad optimum nos ducant finem — Horum ex numero Tu eras *Hallere*, semper inprimis quod omnibus *maximis* Viris commune est, hoc quoque obtingit Tibi, Illustrissime sostrum, ut scriptis atque operibus suis plures sibi pariant veneratores, quam ipsis in præstantissimis semper occupatis, exspectare in mentem veniat. Si quid omnino apud nos valeat dignissimæ laudis cupido, quæ hominem amplissime ornat, sinceram veritatem sequamur, & celsissimam contemplemur *naturam*. Remanebit hæc semper, cum cætera mortis erunt — Illa artis suæ, ac pulchritudinis conscia, spectatores nos & admiratores tantis rerum pulcherrimarum spectaculis genuit, — perditura fructum sui, si tam magna, tam præclara, tam subtiliter ducta, tam nitida, ampla & non suo genere formosa, cœcis ostenderet. Peregrinationem quamvis, Luganum & ultra ubivis, quo jusseris, suscipiam; & lætus redibo, si rite potuerim inservire studiis tuis. Accipe dex

teram

ram, *exſequar* — Tempus hic noſtrum & tua pecunia ſanctiſſime impendentur — Meliorem vix, dicere audeo, neminem invenies, qui minus defatigetur, & inconſtantia temporum, & qui majore cum aſſiduitate iis — inhæreat, quæ reliqui ignari temnunt — Ipſe me facies aptum, *quem* voles, mittere viam & fines — monſtrabis. Theſauros ſic exoptatiſſimos & *patriæ* & *mihi* in laudem cumulabo.

A 10 --- 13. Auguſti hujus diem, ex auctoritate tua, in montibus hiſce nunc ſum moratus, ſanctiſſima noſtra ſemper ſunt *templa!* vix tandem aliquid memorabilis invenire datum eſt. Plura mox *Dickio* jam ſcripſeram, quæ iterare ſupervacaneum judico. *De Gentianis* — hoc repeto, *purpureæ* ſ. *ſanguineæ* intus vel pallidæ vel punctatæ inveniſſe me hiſce ultimis diebus 10. nempe Auguſti 1771. exemplaria ultra *centena.* Nil vulgatius — im hintern Gurnigel, quem non ineptè noſtri vocant den Zigerſtock Frequenter *iterum* punctati Flors & *non* punctati in eodem ſcapo. Flors in aliis per commata, alibi per puncta notati   hæc tamen in ſcapis diſſitis. Dicere hoc velit (ni valde fallor) foliis conſtantibus — (differunt nihil) variant colores. Quantum potero, bene explanatas, nitide ſiccabo.

In Digitali illa galea inciſa, cui flores *minores* in caule *elatiore* ſunt, vidi *quoque* poſt ſegmenta *minora* ſuas eſſe maculas *rariores.* Sed cur *minutias* iſtas adhiberes, cum adſint characteres manifeſti.

Ita

Ita

Digitalis galea incisa, foliis lanceolatis, longissimis, rarissime denticulatis; cum caule glaberrimis (pro minore, elatiore.)

Digitalis galea incisa, foliis elliptico ovatis, frequenter crenatis, subhirsutis, caule hirsuto (pro majore, humiliore).

Tibi interim & omni liberali Scientiæ amico me valde commendo. Habebis me semper — Tibi devinctum.

Vale quam optime.

Si quid habes, quod nunties meo *Gesnero*, paratissimus sum, qui lubenter suscipiam. Brevi ad illum abiturus sum, ineunte *spero* mense Septembris, sed ante Tecum colloquar.

Dabam in Arce nostra *Burgensteinensi* ad diem 15. Augusti 1771. Occasio mittendi d. 18.

Adversus *Chamædrym* tuam 289. non nihil habeo, quod *contrariatur*, quos habeo Nomenclatori *adscriptos* characteres! Quatuor ego habeo dentes inferiores incisione tantum recta separatos, & *unicum* superiorem *majorem* a reliquis separatum.

O Deos immortales! *quanta* in hisce *illustratis* voluptas, *quo major* — si datum esset, — Hasselquistium sequi, in terras remotas, incognitas. Sed spes nostra adeo *subtilis* tenet in litterarum com-

commercio inter Antiſtitem noſtrum Huldricum, & presbyterianæ Eccleſiæ in Philadelphia Præſidem, qui de eruditorum queritur Miniſtrorum penuria. — Animum itaque *contineamus!* Regnabit diu & vincet *ampliſſima* Ruſſiæ totius *Imperatrix*, legabit in *Græciam!* & ſcio mihi nunquam favorem tuum ampliſſimum deſuturum; id optimum eſt, quod poſſim optare. Gratias *habebo*, & *agam* præclaras, quod dignum judicaveris, qui iter hoc verſus Luganum *ſuſcipiam*, & benevolæ adeo voluptatis puriſſimæ facere volueris participem. Stipendium *gnaviter* demereri ſtudebo! & Agaven *Americanam* ſalutabo devotè.

Credas mihi, Vir acutiſſime, digniſſime, *elegantes* ſunt iſtæ *varietates* (non quod acies in diſtinguendo mihi exoſa ſint). Eo audentius hoc aſſerere auſim, cum ultra centena hic viderim exemplaria, & punctatorum non minus quam circa viginti 1. pallidas & punctatas ſuper eodem ſc.

2. Radices & folia differunt nihil.
3. Varietates eſſe & arguit *multifaria* punctorum diverſitas

I. per *lineas* poſita, II. per aſperſionem, III. in lineolas confluentia & creberrima ſ. rara *a.* ſubtiliſſima, *b.* craſſiora. Folia in terra *levi* elongantur, craſſiora, *ovatiora* ſunt in ſolidiori humo. [Hæc ad Gentianas *rubram*, & *punctatam.*]

Cirſium equidem noſtrum, quod Carduum tartaricum L. eſſe credo, plenarium habet *chara-*

cterem

Cterem 176. tui, & invenitur hic *pluribus* in locis ſemper in arenoſis, *ubi* ſaxa arenaria ex terra proſtant. Videbis, ſuo tempore, cum reliquis.

301.

JACOBUS KITTIUS.

VIII. Iduum Auguſti — feliciſſimo ætatis meæ die, ſumma cum lætitia, auream tuam, Illuſtriſſime Hallere, epiſtolam amplexus ſum, quæ felicitati plenariæ culmen demum ſuperſtruit. — Invitas me per illam Vir benevolentiſſime, ut ſi quid habeam, quo opus tuum præclariſſimum & ad ipſam perfectionem attingens, carere credam, communicare velim. Ejusmodi exhortatio, & quaſi eximii fructus ex indefatigabili induſtria, quædam *exſpectatio* præclare elevat animum — Vereor, niſi ipſa jam æſtas & ardoris juvenilis cognitos in ambiendo æſtus, qui ſæpius deſideratis excidere facit, obſtaret, ne etiam acutiſſimo, gnaro, & rebus abjectis intentiſſimo oculo — cum Aretii noſtri, tum ipſa tua culpa *difficillimum* ſit, aliquid novi *hiſce in terris* detegere. Erit ergo votum tuum æternum vel impotentiæ meæ, vel potius, ſi coram prædicare licitum ſit, *præſtantiæ tuæ* documentum. Sed melius, de univerſa rerum natura cogitamus. — Novimus *ingentis* naturæ *immenſos* theſauros. Tarde eruuntur, quæ *altè* jacent; abſcondita adhuc *multa* in rerum natura ſunt, atque ſperamus Illuſtriſſimorum Virorum, qai tanta veritatem luce donarunt in

in nobis non fruſtra futurum exemplar. Officium eſt, eorum quibus a Numine acutum videre largitum fuit, ſolertiam adhibere. De iis, quæ facultates noſtras fugiunt, *fortuna* videbit. Si quid autem de eo, qui *diligentiſſime* veſtigia veritatis & induſtriæ, ipſa tua veſtigia premit, æſtumatiſſime Hallere, exſpectare ſit æquum, omnino de me exſpectare talia velis. *Proficiamus* ergo in dies, totosque nos Floræ dicemus, cujus theſauri nobis proxime ſunt commiſſi. Qui potuit ſexcentas invenire Buxbaumias, poterit quoque Ceraſtia vidiſſe, & Gentianas punctatas non præteribit. Et Philoſophus, qui indicat ea, quæ ad ſcopum pertinent, & omnia accurate depingit, quæ *adſunt*, non culpatur, cum longe remota ſilet, atque ignorat. Abeant ergo ad ſuam crucem operum Jehovæ ignari, qui ſemper obtrudunt, *dudum eſſe hæc nota omnia*, cum ſtipulas non queant ab ariſta diſtinguere; cum ipſe Hallerus invitet, non amplius reformido. — Dantur & alii, qui *ideo* rejiciunt pulcherrimam diſciplinam, quod nequeat exhauriri. Nobis ob hoc *gratior* erit. — Dantur tandem, qui opinantur, Botanicum dignum alium non dari ullum, niſi novam concedere plantam ipſi contingat.

Singulari quadam Numinis credo factum eſſe provida cura, quod hiſce in locis frequenter verſari datum ſit, quibus ſummorum Virorum veſtigia, in gratæ poſteritatis ſalutem impreſſa ſint. Certe Pedicularem illam flammeam inde ex tuo intuitu multo frequentiorem factam eſſe ſcio. Et

 quam

quam læte arrident in ſcriptis tuis præſtantiſſima nomina Neunenen, Stockhorn. Quod Cyrus olim de numeroſo ſuo exercitu, id ego de ſubditis Floræ Stockhornianæ (quæ quaſi in ſolamen, niſi in gloriam atque triumphum nata eſt) aſſerere audeo, quod humillimi tentoria militis non abnuam. Datus eſt a Numine greſſus firmus — per editiſſima juga. Sed *regio*, *regio* neque Aquilegienſium illi atque Valeſiæ ſolo, neque Alpium ducibus, neque *inexhauſtis* in Fouly & Simplon theſauris, comparanda eſt. *Firmum* fuit conſilium *Italiæ* confines viſendi, ſed aliter decreverunt Superiores. —

Ceterum theſauros noſtros, qui ſemper in dies & annos *meliores* fiunt & *nitidiores*, non mediocriter cognitos habet Cl. *Tribolet*. Sed tamen majoris *diſtinctionis* gratia, & quia & ipſe quæ alii cognoverunt Botanici perſpicere amo, adverſaria ſcribo, ad genera *adtendo*, ſpecies depingo, veritatem adſector, — ne quid temere, ne quid ignoranter affirmemus, ſed digne deſcribamus. Ex iis ſi quid erit, quod notatu dignum videbitur (quod ſedulo jam nunc agam, ut inveniam) notum Tibi faciam.

Dicam ergo ſimpliciter, quæ ad 25um. Julii (qui meus erat) *nova* & notatu digna ſunt viſa. Spero Te facile hallucinationes meas condonaturum ætati. *Optarem*, ut hiſce in jugis, *diutius* quam unum alterumve diem dimidium, commorari conceſſum eſſet, — præſertim cum longius diſtant,

diſtant, quam . . . . . ex noſodochio forſan judicarent.

1. Orchis Brändlein per omnia hæc juga. *Stockhorn.* Kuhlauenen, Wallalp, Schwalmern.

2. Campanula *barbata* 694? Certe Campanula caule ſimplici, roſula foliorum ad terram ligulatorum aſperorum, ſcapo plerumque unifloro, bifloro, raro trifloro, floribus hirſutis.

3. *Orchis* radicibus ſubrotundis, foliis latioribus, ſpica laxa, calcare breviori, labello ſimplici ovali lanceolato; petalis tribus exteris longiſſimis, concavis, non reflexis, intimis ſe obtegentibus, bracteis erectis longis, coloratis. Quænam?

4. —— acutiſſime trifido labello, *punctulato*, ſpica denſiſſima brevi, calcari breviſſimo radix quænam?

5. Bupleurum foliis radicalibus gramineis, palmaribus, caulinis lanceolatis, paucis, acutis, baſi latiore caulem ambiuntibus, involucro univerſali inæquali, foliis 3. --- 5. folio altero reliquo longe ſuperante. Umbellæ partiales in petiolis longis, calyci lanceolato 5. --- 7. foliorum aſſident. Caulis unus aut gemini pedales. Num 8 * veteris Enumerationis, num potius Ranunculus ille gramineus 770.

H. angulosum Linnæi omnino videtur. Caulis sit tamen *pedalis*, folia omnino ex vagina amplexicauli, paulo latiori s. uti dixi.

6. Ex Syngenesiis aliqua, foliis ovatis *tomentosissimis*, *integerrimis*, imis petiolatis, caulinis amplexicaulibus, pene *decurrentibus*, floribus fere duobus. Colore radiorum semiflosculorum ex luteo pulchre *aurantiaco*, num Inula montana? foliis ellipticis, integerrimis, tomentosis. Sed Caulis *uniflorus* hic non est. (Doronicum helveticum incanum esse C. B. ex Nomencl. nunc sentio d. 9. Aug.) levissime aut nihil serratum hoc meum.

7. Arnica (Scorpioides) foliis alternis, argute serratis, *subtus* tomentosis, radicalibus petiolatis, in lapidosis M Neunenen *rara*. (Vereor ne idem sit nostrum Doronicum d. 9. Aug.)

8. —— montana 90. tua foliis *non* conjugatis, sed alternantibus, amplexicaulibus, ex ovato productis, lanceolatis, subdentatis, *hirsutis*, infimis petiolatis, amplissimo flore: lapidosorum *frequentissimum* hic ornamentum, in lateribus M. Stockhorn versus Oberwallalp & in M. Neunenen (*Scorpioides* 89. tua erit. d. 9. Aug.)

9. In M. Neunenen, ubi Pedicularis foliosa frequenter nascitur, Lycoperdum *Bovista? Mitram* vocarem, magnitudine cranii infantis, & Mitræ

& Mitræ ſpecie elliptico rotunda. Ad exemplaria duo, *Seſſilis* ſacculus eſt ex luteſcente ſubrufus, polline ex fuſco viridi pulveris plane communiſſimi ſternutatorii, hic quidem ubi calceamentis hiſce ferreis ſaccum *recentem* disrumpere feci. Vertex ſcabritie verrucoſa fuſca obſita, reticuloſam fuiſſe ejus ſuperficiem memini, eſt 2172. quo melius referrem!

10. Antirrhinum alpinum. Caule procumbente, laxe ſpicato, foliis verticillatis carnoſis, *glaucis*. Labii inferioris duo ſegmenta *lateralia* latiora? Calcar rectum elongatum, acuminatum, ex apertura dehiſcentis infra calycis recta deſcendens, galea carnea, erecta, ſtricta, longa, labio medio aureo 338. Halleri noſtri.

11. In ſaxoſis ad latera M. *Stockhorn* Saxifraga foliis ligulatis, hirſutis, integris, caule recto, unifloro, ſubnudo, num Androſacea L. 984. H.

12. Saxifraga *humilis*, roſula foliatum ad terram, eundo a caule lateſcunt, ſplendide ſunt viridia, anterius tridentata, caule nudo ramoſo, an 973? tua foliis Rhomboideis — credo.

13. Lepidium tuum *frequentiſſimum* inter lapidum ſtrata.

14. Achillæa hæc mea *atrata*, monet, *latitudinem* non ingredi characterem generis.

15. P. S. Lathræa ſquamaria ſemina habet *numeroſa* certe.

Thesis Geslerium Cynosurum esse *iniquum* est.

Judicio tuo sincero atque acuto, subjicio hic tandem flores *Gentianarum*, quos in dominiis propriis invenire datum fuit, *alteram* satis frequenter punctatam — in terra nigra pingui ex putrido quodam trunci abiegni, ligno, in dem Bödeli, wo man über Schwalmeren in den Kessel steigt, ad septentrionem & ad sinistram M. Neunenen si meridiem spectes. Radices 3. 4. *Alteram* intus pallidam extus ex *sanguineo* purpuream jam im hintern Gurnigel, den sie den Ziegerstock heissen. Sed *tertiam* in meridionalibus lapidosis M. Neunenen & saxis, quæ delabuntur in den Kessel. Super eodem scapo flores hæc tulit, & *frequenter* punctatos, & pallidos, ac punctis destitutos plane. Foliorum figura, uti fieri solet, parum in hisce variat. Tuum est decernere, quid credamus, cum crebrius punctatam nondum videre obtigerit.

Cerastium *alpinum*, quod rarum sibi fuisse dixit quidem Dickius; frequentissima est incola in beata illa excavatione, wo die Neunenenstäfel stehen, auf der Nordseite paulum infra flammulas, in aridioribus. Tantum in veteri mundo!

Si quid in me est, quo possim inservire conaminibus tuis, nuntia, fiet.

Accipe ergo quoque alia quædam ex *adversariis* meis, quæ pro generibus inserviunt, ut possis testari, me tempus non frustra terere.

§. 8. Sub 8. Maji. (Tithymalus Cyparissias.)
Calyx fere pyriformis, quadrifariam bicornis.

„ nis. Cornubus iſtis inſident petala IV. ſe-
„ milunaria, bicornia, aliquantum colorata,
„ coloris fungoſi: ſtamina tria petala ſuperant,
„ cætera, quæ IX. inveni, neſcio an ſemper
„ remaneant inter florem recluſa. Apices ge-
„ melli. Germen emittit 3. tubas bicornes,
„ & ex petiolo de flore dependet. Natura ſuc-
„ culenta, lacteſcens. Stipulas ſimplices (nec
„ latas neque bivalves, ſed lineari lanceolatas
„ hic vidi) — Bracteis duabus petaloideis, cor-
„ diformib. inſident calyces III. quorum me-
„ dius nudus, reliqui bracteolis duabus lan-
„ ceolatis veſtiti, — im Wylerhölzli.

§. 2. „ Poterium *Sanguiſorba:* antheræ tenues in
„ *faſciculo* filamentorum ſubtilium longe è flo-
„ re prominent, qui 4. drifidus eſt, ergo non
„ inter *Iſoſtemones* referendus, & *recte* ipſi ti-
„ tulum diſtinguentem *ob partium ſtructuram*
„ *diverſam?* (numerum) impoſuiſſe, *tunc* vi-
„ ſus Linnæus, quicquid dicerent Pharmaco-
„ polæ — (Sed Staminum *numerus* non diu-
„ tius me moratur) auf der Schanze.

§. 13. „ *Salix* d. 9. Mai hic omnia vidi, ut præ-
„ cell. noſter deſcripſit Hallerus. *Nectaria* ne-
„ ſcio quare nectaria vocentur, ungues ſunt
„ ferè cordiformes. im Bremgarten.

§. 14. „ Oxalis Acetoſella „ ut habet *Hallerus*
omnia."

§. 15. „ *Novas* ego *claſſes*, ſi eſſem *Linnæus*, *pul-*
„ *cherrimas* — conſtituerem; haberemus tunc

 „ Didy-

„ Didynamiam, Tridynamiam, (Ornithoga-
„ lum) Tetradidynamiam, Pentadidynamiam,
„ (Oxalin) Polydynamiam (Tithymalum)
„ eas natura ipſa conſtituit!

§. 16. Gentiana *verna* (pro ornamentis plicæ, tu-
„ ba longa, ſtricta. *Hic* Piſtillum ſtaminibus
„ *longius* utique per *antheras aſcendit.* Nun-
„ quam in mentem venit, *Sexum* negare.

§. 17. „ Primula, flos tubuloſus *ritè* apud Halle-
„ rum deſcriptus, glandulas fauces non ha-
„ bent, tuba globulum ut acus gerit. Multo
„ humilior eſt ſtaminibus. *Stamina* in tubo
„ floris *ſeſſilia.*

§. 19. „ Orchis (Morio) Galeam formant petala
„ 5. duo ſuprema *ſemiviridia*, intima duo pla-
„ ne colorata, ſimili tertio obteguntur. La-
„ bium inferius trifidum, ſegmentum medium
„ *emarginatum*, omnia circumcrenata. Hæc
„ petala imminent fabricæ ſtaminum, quæ
„ eſt *Cucullus* in *ſacculos duos* partitus, (qui
„ Plicæ petalodeæ) ad maturitatem aſſervant
„ ſtamina, uterque unum, *ſingularia!* clavi-
„ culi non ſunt, uti videtur, ſed fili, in glo-
„ merem compacti, quib. globuli infiniti ſper-
„ matici adnati — Hic nondum miraculorum
„ finis eſt. Quod ſi *Laryngem* Tibi fingas,
„ ligula illa, quæ fabricam ſtaminum termi-
„ nat, *epiglottis* erit, quæ *laryngem*, canalem
„ iſtum, qui ad ſemina ducit, obtegit. — Sed
„ liberum

„ liberum ſinit *Oeſophagum*, qui abit in cal-
„ car. — Fieri non poteſt, ut aliquid ſimile
„ *minus* claudicet --- Natura ſibi ſingulari mo-
„ do placuiſſe videtur in fingenda hac planta,
„ & licet communiſſimum genus ſit, poteſt
„ tamen cum rariſſimis externis, de ordine
„ contendere.

§. 20. „ Plantago *lanceolata*. Stamina IV. Antheræ
„ ex *apice* pendulæ. *Lamellis* duabus conſtant,
„ quæ media *linea* viridi junguntur. Omnia
„ eodem veſpere ad 9. Maji im Bremgarten.

§. 24. „ In Pomario Dickii, juvante Cl. *Triboleth*.
„ *Poa*, *Feſtuca*, *Avena*, *Triticum*, *Lolium*. Ad
„ originem Glumæ majoris breviſſima (tenuiſ-
„ ſima) *petala* abſque obſervatione Halleri, me
„ hercle, acutiſſima omnium, omiſiſſem.

§. 31. „ In Horto Dickii in Alyſſo (clypeato ſ.
„ ſinuato) *Denticulum* illum in ſtamine mino-
„ ri notavi --- Libellaſter ille, qui Boerhaavii
„ M. nomen uſurpatur, *characterem* gen. fal-
„ ſum facit, *caules* repentes, rubicundos, tor-
„ tuoſos, ut videas ſingularem attingere ſpe-
„ ciem. Lanuginem albam, folia aſpera al-
„ beſcentia (ſed character genericus ex flore
„ deſumendus fuiſſet) Radix ibi *lanuginem*
„ habere dicitur.

§. 32. „ Enonymus *Europæus*, petala IV. per æta-
„ tem revoluta, in totidem angulis quadratis
„ erecti mucrones ſtaminiferi, palum piſtilla-
„ ceum circumdant.

§. 38. „ *Campanula.* Flos ſuperus. Staminum un-
„ gues lati, cætera ut dicit *Linnæus* (quem hic
„ evolvebam.)

§. 39. „ *Carum Carvi.* Color *ſingularis* florum, ex
„ albo cæruleſcens carneus.

Obſerv. 40. Petala *ſæpe* in Braſſica occurrunt *quina*, cum calycis ſegmentis IV. In ſylvam non ligna feras! (Sed quid *paupertatibus* hiſce longius immoror!) --- *Brevi*: methodum hanc optimam credo, poſtquam non mediocriter imbuti ſumus, *ſuaviſſimæ* ſcientiæ cognitione, & fundamentis, *propriis* primum oculis videre, exinde, quod mutuum eſt amare, & ex optimæ notæ Auctoribus expolire *ſcabridiora.*

In Horto Burgenſteinenſi meo lætiſſime florent & creſcunt

Dictamnus albus ex ſeminibus productus fuit: utique non *mediocri* fortuna in plantis utor, etiam in loco natalitio meo montano, Brytten, teſtis exſtat præmaturi mei in ſtirpes amoris. Prunus *armeniaca ſexto* ætatis anno hiſce manibus, & --- *animo de plantis provido* --- ſatus. Salvia hiſpanica, Vicia Benghalenſis, Aſtragalus caput galli, Sida Abutilon, Salſola Kali, Trifolium melilotus Cretica, Datura Tatula, Aſtragalus epiglottis.

Lætiſſime florere dico, mediante infinito labore --- optarem tamen, ſi quid *valerem*, aut tali ſi Præ-

ſi Præceptore gauderem, *villicum* juberem --- ut loco *aridiſſimi* & *arborum* truncis re vera definiti, vix penetrabilis ſoli, qui longè ab aqua remotus eſt, ex pratis immenſis (quod facile tandem precibus *meis* concedet) centum aut aliquot pedes, pro *commodiore irrigatione* & *pinguiori ſolo* (im Hoſtetli) traderet, ut etiam *Rumiçes* atque *Thalictra* lætarentur. --- Jubes me, Hallere Optime! libere Te uti, ſi quid ſit, quod mihi gratificare queas. --- *Primarium* eſt, ut occaſione data (ſcio frequenter Tecum colloqui eſſe ſolitum digniſſimum noſtrum Patronum (gratum ipſi animum ſignifices pro liberaliter adeo conceſſis in beatiſſimas regiones excurſionibus.) --- *Secundum*, ut quamvis ampliſſimis negotiis detentus, aditum non plane recludas, ingenio ſcientiarum *Tuarum* & eruditionis theſaurorum avidiſſimo. *Tertium* ut velis ſinceriſſimo tuo amico Geſsnero perſuadere, ut optimo olim Præceptori noſtro Sacrorum Antiſtiti honores & fructus ingentes depingere velit, qui poſſint ex itinere *transmarino* pro dilectiſſima patria & optimis amicis, in noſtram felicitatem enaſci. Si *Philadelphiam* pervenire obtingat, ut --- me *adjuvent*, nec amplius impediant. Hæc ſi facere non dedignaberis, paratiſſimum ad omnia habebis obſervantiſſimum Tui Kittium. Opto ut eximiarum Te virtutum exemplar, digniſſimum Senem ſeri intueantur nepotes.

Vale. Strenuo matheſeos noſtræ Doctori, cum optimo Dickio, ſalutationes meas annuntiare velis, ne mihi ſuccenſeant forſan incaſſum, ---

cum

cum optima vota non ſemper implere, nec gratiam referre dignum conceditur.

Prelo ſubjecta eſt, *breviter* quædam, ut vires ferebant, in rem herbariam & univerſam phyſicam a Kittio tuo inſtituta diſſertatio, ex qua poſſis ardorem ſaltem & vota, ſi non cognitionem profundam perſpicere. De quibus jam nunc tacebo; opto ut Gypſophila *præalta* ex Sibiria allata, Vicia *Benghalenſis*, & *Hieracium*, quod ex Penſylvania apportavit *Kalmius*, pulchritudine reliquas ſuperantes, in bonum cedant ſymbolum.

Tandem ſi tempus olim vacabit, *ab eruditione ruſticorum* & inſtrumentorum ſuppellectile aderit, priuſquam tædium plantarum ſubeat, ut in inceptis perſeverare queam ad finem, ſedebo ad *Alembicum*, quod in Penſylvania certe non facerem, & inſtituere cum Lewis Anglorum, atque Vitodurano Zieglero & Cel. Geoffroy (in patria remanere coactus) ex communiſſimis & notiſſimis plantis examina libet.

Notatu digniſſimi pene oblitus eſſem, quod Silene *acaulis* in jugis noſtris jam prima ineunte vere, ut noſti, florens, *tres* nunc annos in horto meo nonniſi *medio* Auguſto florere incipit; primo quidem anno, poſtquam jam ſemel in Alpibus *defloruerat*.

D. 12. Julii Ceraſus ineunte vere ab Erucis ſpoliatæ & foliis & nutrimento, nunc plena eſt floribus *denſe* faſciculatis.

D. 14.

D. 14. Julii vidi in Lieutenant Schneiders Garten in Sefftigen *Mali* ramulum floribus superbientem.

D. 20. —— in Ammann Grünings Matten & *Cerasum* & *Malum* florentem.

D. 10. —— Carvi caulem rusticus homo mihi attulit sescunciali diametro, explanato caule, qui ramulos innumeratos edit.

Dabam in arce Burgensteinensi ad VI. Id. Augusti 1771.

D. 2. Maji

Tuba Polygalæ vulgaris in calami scriptorii ... similitudinem *sursum* aperta est ostium nempe *obliquè* resectum & acuminatum antice, hamulus subtilissimus recurvatus in parte latiore ostii, hæc oculo nudo  ... + *Microscopium* sume, & *medium* perfectissimum erit.

D. 8. Aug Terræ gleba lutoso calcaria quam acidissimo aceto bona ex parte effervescere, deinde resiccare feci; Crystalluli ex luteo sordidi hujus formæ  & hujus  ex vasis parietibus relicti glebæ autem superficies obmaculata *Aspergillo?* — plumosis, murinis, maculis *albis*, & *griseis*, *cinereis*, *maturiores* hæ erant.

Prima ista herba, quæ in via *strata* ad infimum januæ gradum ex lapidum fissuris, me inscium

ſcium ſecuta, procreſcit; *Cacalia* vocatur *alpina ſub meis feneſtris*, procul dubio ex ſeminibus cum projectis plantis, delapſis pronata. Plantæ III. quæ jure civitatis utuntur 1. Cochlearia Armoracea, in loco remoto, inculto bey Seelhofen. 2. Atriplex hortenſis, in ruderoſis ubique. 3. Polemonium *cœruleum* poſt arcem.

302.

CALDANIUS.

Accepi a Somiſio Tom. Imum. accuratiſſimi & eruditiſſimi Operis tui botanici; deinde, non multo poſt tempore etiam Tom. tertium & quartum Medicorum Principum. Miſiſti olim Tom. I. Vir Clariſſime! ſecundum nondum accepi, erravit fortaſſe Bibliopola. ſed quæſo ut prima occaſione hunc errorem emendare velis. Nitidiſſima eſt editio. Ea Henrici Stephani apud me eſt; ſed amo magis hanc tuam, tum ob minorem voluminum molem, tum ob doctiſſimas & ſucciplenas præfatiunculas, quibus varios libros ornare aggreſſus es.

Longioris ſilentii mei cauſæ fuerunt, artis medicæ adminiſtratio in principibus viris, qui omnino deſperati, & tamen exiſtimantes poſſe me iis priſtinam ſanitatem reſtituere, moleſtos mihi, qui Clinici officium dimiſi, reddidere non ſolum dies, ſed fecerunt etiam, ut plures noctes ducerem inſomnes, uſque dum fatis conceſſerunt. His adde

adde quod ſuperiori menſe nova ſtudiorum methodus a rei litterariæ Triumviris propoſita fuit. Methodi iſtiusmodi ſumma hæc eſt. Non parum eſt auctus cum publicarum tum privatarum prælectionum numerus ; & onus impoſitum aut propria ſcripta evulgandi, quæ deinceps ex publica ſede ornanda atque amplificanda ſunt ; aut hoc idem perficiendi de opuſculo celeberrimi alicujus auctoris, rebus, quæ ad reciprocas Profeſſorum facultates pertinent : ſed tamen jubent, ut tandem aliquando propria ſcripta in lucem edantur. Sedes mea, quæ eſt omnium prima, id habet oneris, ut priori anno Phyſiologiam, poſteriori autem Pathologiam tradat : at cum tempus, a nova ſtudiorum inſtauratione ad ſcholarum auſpicium, breviſſimum ſit, neque ideo poſſim phyſiologicum opuſculum in manus hominum emittere ſatis concinnatum & abſolutum, primas tuas lineas phyſiologicas hoc anno interpretandas ſuſcepero ; quæ & optimæ ſunt, & nova dogmata tua latius evulgabunt, invitiſſimis quamvis ejusque aſſeclis. Non ignoras, Vir Celeberrime ! quam grave ſit hoc munus, & quantum auditores in phyſicis & in anatome præcipue deceat inſtructos eſſe. Qui erunt igitur profectus adoleſcentum, qui ita ad anatomen ſunt inſtituti, ut, ſingulis annis, viginti tantum diſſertationibus, & ſemper iisdem adeſſe conſueverunt ? Nunquam ridiculam hanc & prorſus inutilem methodum anatomen docendi mutavit : unde vix ſatis dicere poſſum, quantum debeam vires & lacertos omnes intendere, ut quæ in tuo illo aureo opuſculo

culo continentur, ab omnibus percipiantur. Labor autem minus foret ingratus, si eo aucto augerentur stipendia: sed ea fuerunt imminuta. Superioribus annis liberum erat adolescentibus hunc vel illum Professorem sibi in Præceptorem eligere; exacto quadriennio, occasione laureæ doctoralis, singuli proprio Præceptori decem aut duodecim aureos præbebant. Hæc libertas suprema lege evanuit; & ego, qui semper in magna audientium copia versabar, & quotannis quindecim aut viginti adolescentes ad lauream instituebam, annuos hosce proventus amisi. Verum ad alia. --- In mea illa epistola ad Haenium verba feci, ni fallor, de observationibus Lobstenii --- Non credebam Albinum in quæstione nostra a Te ipso dissentire. Video enim in libro de musculis & in adnotationibus motum muscularem, etiam in corde, repetere a stimulo, & cum mihi scripserit, ut patet in epistola mea ad Haenium, duram matris nervis carere, & præterea in quæstionibus (quæ Tecum etsi publice facere renuebat) nobiscum convenire, ipsi persuadeor.

Vale, Vir præstantissime, & me quæso amare perge.

Dabam Patavii die 25. Octobris 1771.

303.

CALDANIUS.

Die quinta hujus mensis, hora noctis secunda, Italiæ more, supremum diem Morgagnus obivit.

ivit. Apoplexia, ut dicunt, correptus fuerat quindecim ante horis, quam vomitus & diarrhœa primum enuntiavit. Obiit in lecto, absque nepotibus aliisque consanguineis inter famulæ brachia. Ultima ejus voluntas hactenus ignoratur, neque enim testamentum hic loci inventum est: extat Forolivii apud nepotes, quos divites fecit, & nobiles.

Communis omnium vox est, anatomicam sedem mihi assignandam esse: verum is ego non sum qui patiar, ex prima ad quartam sedem traduci, nisi . . . . . . Interim in abscondito attentus observo, quæ eventura sint.

Si opuscula aut medici, aut chirurgici, aut anatomici, aut botanici argumenti prodibunt, ea ego Tibi curavero: sed scias, velim, Vir præstantissime, nos ipsos iis carere, quæ Romæ & Neapoli, & in viciniis evulgantur. Veneti Typographi ita indolentes sunt. Scripsi jam diu Florentiam, ut Targioni Itinera ad me pervenirent. Responsum tuli novam fieri editionem cum additionibus ab ipso auctore. Editio nondum completa est. Eam habebo opportuno tempore, eamque Tibi certissime curavero.

Veneti medici diarii Orteschius non amplius auctor est; sed Griselinus, qui librum edidit *nuova maniera di seminare il frumento*, quem Tibi alias misi. Si tamen monueris, quot ejus diarii tomos possideas, reliquos mittam. Quod asseris

 de

de his Bibliopolis, qui negant ſe poſſe italicos libros curare, idem eſt de noſtris in ratione ad libros veſtros. Nunquam ego potui emere Opera Kaw Boerhaave; impetus anatomicos Cantii; medicas diſſertationes a Te collectas; Neorologiam Camperi, aliosque libros medici & anatomici argumenti, quibus careo.

Quæſo ut moneas, proportionem componentium eorum, quibus pro injectionibus felicibus utendum eſt. Moneas ſimul, oro, num præparatio aliqua in anteceſſum ſit neceſſaria, dum, in exemplo, hepatis vaſa injicere volo, eſtne omnino neceſſarium ut aliquid prius moliar, quo ſanguinem educam venoſa vaſa replentem? Noſtrates in hoc opere parum vel nihil profecerunt.

Vale Amice Illme. & Præſtantiſſime, meque amare pergas rogo.

Patav. 14. Decembris 1771.

304.

JOH. GESNERUS.

Meckelium ad Schobingerum miſi. Gratias agit & de tuo imprimis favore & amicitia Meckelii ſibi gratulatur, & pulchra ejus inventa laudat. In epiſtola triſtem obitum amici & diſcipuli ſui D. Dr. Danneri nuntiat, Medici & Chirurgi magnæ ſpei, qui nuper Argentorato in patriam redux ex putrida febri ſupremum diem obiit. Simile

mile fatum passus est D. Dr. Zieglerus Medicus Scaphusinus, qui Göttingæ arti medicæ operam dedit, & vix in patriam redux, postquam ægros hoc morbo laborantes in agro visitaverat, eodem correptus obiit. Passim apud nos in urbe & agro plures invasit & medelam admittit, si antiphlogistica sit, & evacuantia non prætermittantur; in quibus Tamarindi primarium locum merentur. Angina vero cum febre putrida & exanthematica plures infantes opprimebat, quibus nulla medicamenta propinare licebat, & qui gargarismata omnino nunquam adhibebant; hi enatis tumoribus glandularum fere suffocati obierunt. Neque etiam evacuantia opera ferebant. Adulti vero, quibus gargarismata primum resolventia, dein emollientia cataplasmata applicata fuerunt; & lenia diaphoretica & temperantia, morbum post paucos dies superabant.

Vale Optime & favere porro perge.

Turici d. 12. Febr. 1772.

305.

IGNATIUS RADNICZKY.

Cum epistola tua ad celeberrimum Professorem Bohadsch a die 24. Januarii directa ab hæredibus ejus (nam ipse jam biennio abhinc fatis cessit) mihi his diebus communicata fuerit, dignum judicavi, ut justæ tuæ petitioni satisfa-

ciam, atque de morbo in hac urbe æque ac in toto regno Bohemiæ grassante veram ideam darem.

Febris hæc, quæ jam mense Martio anni nuper elapsi grassari cœpit, e genere synochorum putridorum est, quam doctissimus Pringl aliique Medici, qui ultimo bello borussico ac gallico in nosocomiis militaribus praxin medicam exercuerunt, descripserunt. Symptomata morbo ingruente sunt lassitudo corporis totius, dolor capitis atque lumborum enormis, doloresque lancinantes artuum omnium, nauseæ, vomituritiones & circa præcordia anxietates, pulsus tensus, contractus, ac parvus, ægri sudant copiose: quæ omnia si mature emeticum, e rad. hypecacuan. granis x. ad xv. propinetur, dein vena e pede secetur, brevi evanescunt, & ægri postquam copiosum potum diluentem per aliquot dies ingesserunt, reconvalescunt. Si vero hæc primis diebus negligantur, quæcunque tunc remedia adhibeantur, alius effectus non sequitur, quam quod dolores capitis ac artuum mitigentur, sed lassitudo augetur, pulsus fit parvus ac sanorum similis, accedit delirium, vires vitæ languent, oculi rubri, lingua sordida, aridaque fit, os ac dentes crusta nigra obducuntur, & ægri quasi exanimes jacent; subsultus tendinum, tremores artuum, superveniunt. Si his omnibus convulsiones, quod plerumque die morbi decima, ac duodecima accidere solet, tunc de ægris actum est. Si tamen debita methodo tractentur, plurimi die morbi 21. per sudores copiosos, ac diarrhœam perfecte judicantur,

tur, aſt ad hunc morbum debellandum magna experientia & acutum Medici judicium requiruntur; nam non eadem methodus omnibus prodeſt, tum aliis ſola remedia antiphlogiſtica aliis abſorbentia cum Cortice Peruviano, aliis iterum utrumque ſimul proſunt, alios autem nonniſi remedia ſumme fragrantia, uti eſt Moſchus rad. ſerpentar. Virginian, Contrajerva cum aut ſine cortice, & ſerum lactis vinoſum juvant. Prodeſt & larga doſis camphoræ ter quaterve per diem propinata. Habui ægram hoc morbo peſſime laborantem ætatis ſatis provectæ, cui cum Medici deeſſent, & medicamenta requiſita nulla ſibi compararet, huic ego quotidie uncias IV. aut V. vini optimi hungarici Tokajenſis ex meo proprio dedi, & hoc ſolo cordiaco reſtituta fuit. Veſicatoria nimis cito applicata nihil boni præſtant, ſi contra ſeptimo aut octavo morbi die applicentur, optimum exhibent remedium. Multi pauperes unico pulvere pyrio ſe a morte liberant. Exanthemata quandoque erumpunt miliaria, quæ ſi ante ſeptimum diem ſe manifeſtent, ſignum lethale exhibent, ſi vero poſt diem decimum tertium & ſerius erumpant, criſim bonam denotant: mihi inter tercentos ægrotos, quos ſpatio novem menſium tractavi, non niſi ſex cum exanthematibus miliaribus videre contigit, maculas petechiales vidi nunquam, quum alii Medici dicant ſe obſervaſſe in ſuis ægris ſæpius petechias. Mortuos inter meos ægros trecentos numero duodecim, ſed & hi partim ex eo quod niſi ſero auxilium Medici petierint, alii vero ab adſtantibus neglecti perierunt, nec mi-

 rum,

rum, quod mihi hæc felicitas obtingat, quod præ reliquis Medicis Pragenſibus in curandis ægris felicior ſim, cum genius hujus morbi mihi præ aliis magis cognitus ſit; cum toto ultimi belli boruſſici tempore apud exercitum noſtrum medicinam fecerim, & mihi directio noſocomiorum militarium maximorum ab auguſtiſſima Imperatrice, ita ſuadente Ill. L. B. van Swieten Præceptore meo æternum venerando, confiſa fuerit, ubi omni fere anno febris hæc putrida epidemice graſſabatur. Neque verum eſt, Principes vicinos omne commercium cum noſtro regno Bohemiæ evitare, cum in actualibus nundinis, quæ modo celebrantur, plures mercatores (inter quos etiam D. Georgius Conradus Walter Bibliopola aulicus Dresdenſis numeratur) ex Saxonia, Norimberga & ex Imperio hic adſint, ex quo falſitatem novalium publicorum concludere licet, & toto tempore quo morbus hicce urbem noſtram ſat populoſam affligit, nedum duo millia hominum ab hac febre extincta ſunt. Verum eſt, quod ruri plures pereant, ſed miſeri hi non tam malignitate morbi, quam penuria & defectu Medicorum ac Chirurgorum atque medicamentorum huc requiſitorum (dum in quovis diſtrictu duodecim & ultra milliarium, unus tantum Medicus, unusque Chirurgus, qui tot infirmis non ſufficiunt, conſtituti ſunt) pereant. Hoc peculiare hic morbus habet, quod nulli ætati parcat, dum in infantes duorum annorum, & ætate provectos ſeptuagenarios, ſævit æquali furore. Atque hæc ſunt, quæ Tibi notare breviter potui.

Cæterum

Cæterum mihi ſummopere gratulor, quod occaſionem nactus fuerim, Vir Illuſtriſſime, quem tenerrime amavi, venerorque a longe innoteſcendi. Conſervent Te Superi ad viridem uſque ſenectam, quod ego & omnes boni optant.

Vale, meque inter minimos Tuos numera, iterumque vale.

Dabam Pragæ Bohemorum die 15. Februarii 1772.

306.

JOH. GESNERUS.

Humaniſſimæ litteræ tuæ, Vir Amiciſſime & Illuſtris, quæ me de minacis morbi tui ſtatu certiora & pleniora docuerunt, magna ſolicitudine me liberarunt, quam relatio amantiſſimi & de ſanitate tua maxime ſoliciti Schultheſſii apud me excitaverat. Gaudeo certe periculoſi ſymptomatis cauſam & medelam cito detectam fuiſſe, & mecum lætantur amici tui Schultheſſius & Bodmerus, & ſerio optamus, ut fugatis etiam morbi reliquiis firmiſſima & conſtantiſſima ſanitas reddatur, ut diutiſſime porro generi humano prodeſſe poſſis. Intermittens pulſus in ſeneſcentibus ſubinde obſervatur etiam ſine periculo; ſymptomata vero, quæ d. 17. cum ſudore frigido & debilitate comitabantur, non ſine metu & ſuſpicione gravioris morbi fuerunt, ea vero a flatibus potiſſimum excitata fuiſſe gratum fuit intelligere.

Memini D, Wertmüllerum Toparcham illis ſimilia paſſum fuiſſe ſymptomata, intermiſſionem pulſus cum magna debilitate & lipothymia, quæ fere per paroxyſmos ſtatis temporibus redibant, & uſu medicamentorum Halenſium impr. Eſſent. dulcis, ſanitatem integram recuperavit.

Scopoli Floram Carniolicam D. Burlemannus attulit. Plurima in hoc libro invenio, quæ collectaneis meis inſeram, & cum venia tua per unam vel alteram ſeptimanam ſervabo, ſi concedes. Hillium lubens inſpicerem, niſi exiſtimas pretioſiſſimo Operi ex itinere aliquod detrimentum accidere poſſe.

Turici d. 22. Februarii 1772.

307.

J. F. MECKEL.

Lætus accepi litteras tuas, quibus gaudiorum ex familia tua tuæque ſanitatis me certiorem reddis. Senium omnino incommoda comitantur hominibus raro evitanda. Aſt, quod maxime lætor, minimus eorum numerus Te infeſtat. Hinc Te diutiſſime adhuc vivere & valere, & opto & ſpero.

Accipias Humaniſſime ac Optime Præceptor ſerena fronte hiſtoriam diſcipuli tui, cognati & amici noſtri communis optimi Zimmermanni. Tuum judicium de hoc meo labore unicum eſt quod

quod desidero; quippe valorem Operi aut addet aut demet: Te enim nemo melius quæ omiserim quæque desint, judicabit. In majus ac credidissem sub manu volumen, descriptio hæc excrevit; attamen supersunt de herniis raræ quædam observationes, interque eas una quam nuperrime feci, ad explicandum imprimis, quam difficilis herniæ sæpe sit diagnosis, prognosis & cura. Quæ in Historiæ Zimmermannianæ fine in Medicos dicta acriora quædam invenies, inimicos dignissimi istius viri respiciunt, quorum ex invidia illi H . . . . non parvus equidem est numerus.

Omnes de uteri fibris muscularibus vasisque uteri gravidi tabulæ, jam sculptæ; aliæ de singularibus graviditatum præternaturalium speciebus, aliæ de lymphaticis vasis perfectæ, ultimam tantum descriptionis limam exspectant, ut in publicum prodeant. Quæ omnia uti parata erunt, ad Te mittam.

Vale cum nobilissima familia tua, quam plurimum ex corde saluto, meque ama.

Berolini 12. Martii 1772.

308.

DE LA CHENAL.

Quod a morbo tuo cutaneo liberatus sis, valdopere gaudeo, & ut per multos adhuc annos firmiori valetudine fruaris ex animo voveo.

Hypochondriacis ego affectibus, vertigine f. per totam hyemem laboravi, ex nimia, ut puto nervosi systematis forsan & primarum viarum debilitate. Pro primo Bibliothecæ botanicæ Tomo, quem dono mihi dedisse ex litteris tuis edoceor, maximas ago gratias, Vir Illustrissime! Secundus ut videtur nondum prodiit.

Bauhinianæ stirpes siccæ nunc in meam collectionem transierunt, multumque ex hacce collectione profecisse, & adhuc profuturum esse lætus profiteor. Non ingratus foret labor neque inutilis, notatu dignas observationes exinde excerpere, & in lucem emittere. De pluribus certe hactenus dubiis & obscuris Bauhinianis stirpibus mihi nunc ita constat, ut nullum amplius circa eas sit dubium. Ita Carvifolium C. B. eadem est cum planta J. B. Plantam umbelliferam ante 6. vel 7. annos in altissimo Alsatico Monte Bloutberg retro Markirch lectam inde didici esse Carvi alpinum C. B. Hujus stirpis brevem descriptionem bonamque iconem septimo Actor. Helv. Tomo inserui, nec non iconem Sedi arvensis flore rubente. Carvifoliam etiam ibi & Pseudocarvifoliam f. Selinum tuum 802. cum synonymis eorum, de quibus certo mihi constat, extricavi. Sed & a Seseli tuam 762. nobis in M. Crenzach & Michelfeldæ locis siccioribus copiose proveniente Montbelgardica planta, olim pro Hippomarathro habita, certissime differt radice, caulibus tenuibus junceis, foliis, umbellis exiguis & involucro partiali. Verum Hippomarathrum, quo

quo hactenus destituor, gratissimum mihi esset, si vel inspiciendi illud saltem copia fieret.

Vale Vir Illustrissime & porro save.

D. Basileæ d. 11. April. 1772.

309.

C. G. LUDWIG.

Ante hos tres dies Vir Generosissime! veteres Tuas humanissimas quidem, sed ob morbi descriptionem mihi tristissimas accepi. Ex ea litterarum collectione, qua fundamenta religionis adeo egregie confirmasti, solatium optimum percepi, & confirmatus sum in illa religionis ad vitam beatam necessitate, ad quam jam tota hyeme per tot noctes insomnes meditatione mea deductus eram. Gratias igitur Tibi habeo, quas multi habebunt, qui ignorantia victa ex naturæ contemplatione in completa sanctæ religionis solatia pervenerunt.

Permittas ut nunc de morbo meo quædam dicam. Aër subfrigidus & siccus sub Aprilis initia convalescentiæ meæ non favet, tussis cum materiæ chyloso lymphaticæ rejectione inde unita est. Viscera bona adhuc sunt, non ea tantum, quæ digestionem dirigunt, sed & pulmones, sedes tussis meæ molestissimæ est, ad fauces usque ad confinia laryngis & asperæ arteriæ, hinc cum raucedine conjuncta. Interea tamen non solum

ſolum chylus, ſed & pinguedinis maxima pars in colatorium hoc ſpurium conjicitur, inde ſumma macies. Cum vero per totam hyemem, exercitationem corporis etiam cum maximo meo incommodo, ægros præcipuos quotidie inviſendo, & horam unam de die inſtitutione diſcipulorum dederim, vigor muſculorum ſubſtitit, gelatinoſa in iis & porro lymphatica humorum elaboratione non prorſus ſuppreſſa. Si aër ſerenus vernalis laxitatem faucium & laryngis corrigit, ſanitatem tandem recuperare poſſem.

Alia vero eſt morbi tui ratio, laxitas ſumma partium ex defectu exercitationis plethoram obeſam Tibi familiarem reddidit, hinc mammæ ſiniſtræ ſtillicidium lacteum cum exoriatione magnam meretur attentionem, ne reprimentibus tractetur, fugias omnino externa medicamenta & in his emollientia. Si quid ſuadendum eſt, aquam plantaginis, in cujus unciam ſpiritus ſatis optimi guttæ XXX. vix XL. inſtillentur, ſi linteo carpto excerptum applicatur, ſed convenit interponere deligationem cum pulvillis ſiccis, ſi etiam magna vis lacteo lymphatici humoris effluit. Hoc medicamentum in variis papillæ & mammæ ipſius ulceribus cum fructu applicavi. Nihil mones de evacuatione blanda & repetita alvina, in alvo tarda & ſicoa. Solutiones rhabarbari aquoſæ optime convenirent, dummodo ventrem non nimis ſiccarent, hoc autem laxitate partium præſente non ſemper faciunt. Salia media cum mannatis ſæpe ſola inter-

terponenda ſunt. Si ulcus recte reſpondet, infuſa aquoſa Corticis Peruvianæ addita aliqua Serpentariæ Virginianæ parte non inutilia erunt. Venæſectio in obeſa plethora non juvat, niſi in vegetis obeſis, qui effectum exercitione corporis ſuſtinere poſſunt, interdum concedatur. Cum etiam frictio ſola corporis non ſufficiat, tranſeas ad alia exercitationum corporis genera, quæ vernalis aura permittit & jubet, & tum ad balnea martialia. Internus Martis uſus, ſi etiam extractum ejus pomatum in aquis ſolutum elegeris, non ſufficit. Tuæ laxitati, quæ jam in imbecillitatem tranſiit, pulſus intermittens Te non terreat, ex ſpaſmis oritur Tibi adeo moleſtis, quibus correctis, diſſipabitur.

Quæ Lipſiæ prodierunt habebis nundinis proximis. Ego vero reſponſionem differre nolui, quo, ſi etiam Tibi meo conſilio prodeſſe nequeam, cum rationem morbi obſcure tantum ex concinnis tuis litteris perſpexerim, promptiſſimum Tibi inſerviendi animum intelligas. Ita morbo, vernali hoc tempore ſuppreſſo, valeas, & me ut ſoles ames.

Dabam Lipſiæ d. 12. Aprilis 1772.

310.

310.

ANT. DE HAEN.

Novi operis exemplar mitto, nec non ejusdem alterius partis germanicam verſionem. Niſi me animus fallit, videor mihi eorum, quæ certa in medicina habebantur, haud pauca aut dubii, aut fallaciæ coniviciſſe; nec pauca quoque ex ſua incertitudine in certas praxeos regulas convertiſſe. Et adhuc poſt inchoatam libelli impreſſionem dicta comprobavi, confirmavique abunde, numeroſo ſane noſocomii experimento, quo conſtitit, veram epidemiæ graſſantis curam iis ex fundamentis petendam eſſe, ſummaque ſervandi fortuna gaudere, quæ tam malignis, quam peſtilentialibus in febribus, circa & copioſam & frequentem miſſionem ſanguinis in ſimulata earundem debilitate tot argumentis experimentisque probaveram.

Gratias interim innumeras ago de transmiſſis Tuis in Hippocratem latine verſum lucubrationibus. Merito Te, Vir præſtantiſſime, haud præſens modo, ſed & futura, ſi dentur, ſæcula, inter eos concelebrabunt, qui ad culturam, augmentumque artis contulerint quamplurimum.

Vale & amare me perge: ego magis magisque Te colo, & amo.

Dabam Vindobonæ 10. Junii 1772.

311.

311.

CALDANIUS.

Eruditiſſimus Eques Jo. Strange Londinenſis dum Tibi Amice præſtantiſſie, has meas litteras dabit, opus ſimul tradet Targioni poſtremum, quatuor nunc voluminibus comprehenſum : reliqua dum ſenſim prodibunt, alia occaſione mittam; eſt enim, ut videbis, opus incompletum. Multa addidit Vir Illuſtris priori editioni; ſed plurimis negotiis diſtentus novam hanc non potuit hactenus abſolvere. Interim in optimo & docto Anglo hominem invenies, in multis quidem, ſed præcipue in iis, quæ ad naturalem hiſtoriam pertinent verſatum : grata Tibi erit ejus amicitia, ut mihi gratiſſima fuit, & fuiſſet etiam emolumenti in re litteraria, niſi, quotidianis laboribus obrutus, coactus fuiſſem minus frequenter, quam optabam, adeoque invitus ejus ſocietate familiariter uti.

Tu interim vale, & me ut ſoles, ama.

Dabam Patavii 5. Junii 1772.

312.

DOMINICUS AUGUSTINUS ALBERGHETTI.

Opuſculum meum Tibi jam dudum inſcriptum, licet duobus fere abhinc annis excuſum, ad

Te

Te non miſi propter innumera, & quidem graviſſima, quæ in ipſum ſub prelo irrepſere errata, attamen quamvis adeo deforme auctori non parvo apud clariſſimos Viros decori fuit, qui continuo eum urgent, ut illud ad ſuam redigat formam, huncce autem honorem ampliſſimo Nomini tuo, quo libellus inſignitur, imprimis debeo; quare immortales Tibi ago gratias, agamque dum vivam. Typis igitur librum denuo committere decrevi, eumque expurgatum, quod futurum me hercte credo, tunc ſolum habebis, & ad Te pervenire faciam, per Celeb. Medicum Ignatium Somis Profeſſorem Regium Auguſtæ Taurinorum, amicum tuum ſpectatiſſimum, ipſe mihi perhumaniter pollicitus eſt, tanti autem Viri gratiam inire, per Te quoque mihi datum fuit, quamobrem me Tibi ſemper magis devinxiſti. Interim nequeo tamen me continere, quin modo Te litteris incommodem, res enim, veritas, occaſio, & ingenuus imprimis, ac perhumanus amicus tuus id volunt. Amabo itaque ne auſcultare, ac perpendere dedigneris perpauca, quæ contra clariſſimi Cotunni ſententiam labyrinthum implere, ſonique propagationi ad zonulas ſonoras inſerviente ipſemet notavi. Rem ab ovo, ut inquiunt, exordiar. Dum id intellexi, novitate perculſus graviſſimum ſcriptorem, in hac materia expertiſſimum, Valſalvam meum civem relegi. Video hunc nobis ſcriptum reliquiſſe, memoratam cavitatem humore quodam aqueo, & quidem copioſo, intus madefactam reperiri, unde membranæ humeſcunt, de quo nulli antea mentionem

nem fecerant, & humorem iſtum in recenti aure obſervavi, in fœtu quidem ſanguinea tinctura rubeſcentem, qui color limpidus ſenſim fit, quæ omnia etiam fluida, quo cranium, thorax, abdomen intus humectantur, contingere aſſerit, propterea harum cavitatum ſerum huic eſſe ſimile. Deinde doctiſſimum Medicum, ac peritiſſimum Anatomicum Codronchium meum quoque civem conſului: aures & ipſe quidem multas, & ſolus, & cum celeberrimo Valſalva, cujus erat diſcipulus, ac adjutor, incidit mihique pluries teſtatus eſt in auribus recentibus aliquem ſe vidiſſe madorem, raro notabilem humoris copiam in labyrintho obſervaviſſe. Quare Cotunnianæ ſententiæ promptum aſſenſum præſtare non potui, eo magis quia videram, a Te, Anatomice incomparabilis, in primis Phyſiologiæ lineis, veterem edoceri opinionem, & in quinti tui voluminis de auditu tractatione minime affirmari, aquulam hanc ibi ſemper reperiri. Igitur hærere cœpi, meamque dubitationem variæ animadverſiones auxerunt: nam mihi impar videbatur hujuſcemodi aqua, ſcilicet, ut docet Cotunnus, ſæpe rubra, & viſcoſa, ferendis adeo celeriter tot tremoribus ſonoris, & huic cogitationi experientiam opitulari conſpiciebam, non ſolum quia nebuloſos vapores ſonorum propagationi non parum obſiſtere perſentiſcimus, verum etiam, quia certiſſimum eſt, quidquid contra nonnulli debacchentur, homines ſub aquis, & fortaſſe quoque piſces, non audire ingentem quemcunque ſtrepitum, dixi piſces quoque, nam hæc animalia nunquam vidi præbere

auditionis ſignum, dum parva balliſta ignea a me data opera explodebatur: de aëre autem, & in homine, & in piſce contrarium apodicticè liquet. Hæc tamen omnia non tanti apud me ponderis fuerunt, ut Cotunnum refellerem, ſed ſolum, ut ad neceſſaria pericula devenirem. Quamobrem centum & ultra belluarum aures aperui diverſa ratione interfectarum, diverſo a nativitate tempore, diverſique generis, ſemper de earum auditu prius certus: occidi varios lepuſculos, non paucos agnos, vitulos aliquot, catellos, feles, & cuniculos multos, & ab aliis quoque hujusmodi animalia interfici curavi, & ſtatim aperto cranio a parte nervi acuſtici labyrinthum exploravimus, & nunquam nec ego, nec ei, aquam Cotunnianam offendimus. Quid ergo de tanti Viri auctoritate dicendum? Cum ipſe opus ſuum ad auditum ſpectans non perlegerim, reor mea pericula a ſuis diverſimode peracta fuiſſe, ego etenim fallacia duxi illa experimenta, quæ capiuntur in hominibus morte naturali peremtis: nam in vitæ extremo collapſis vaſculis exhalantibus effunduntur humores lymphatici, hinc morientium lacrymæ involuntariæ, narium guttulæ cadentes, ſudores, ſerique copioſi in cavitatibus collectiones, ac propterea etiam in labyrintho, pauca quoque habui in animalibus laqueo, vel mallei ſine interfectis copia: in hiſce ipſemet notabile ſerum ſed cavitatem nequidem ſemiplenam vidi, hæc enim experimenta, etiamſi labyrinthus plenus fuiſſet, nequaquam probarent inventam aquam ibi naturaliter exiſtere, ſed potius eſſe quid præternaturale

a lym-

a lymphaticorum ruptura: id comprobant ſeri effuſione in cerebri cavitatibus, quod ſæpe non ſolum ex auribus exire vidimus, in capitis vulneribus contuſis, unde facili negotio intelligitur, noſtram quoque cavitatem hac lympha repletam fuiſſe, hiſce ergo experiundi rationibus minime fidendum eſſe arbitratus ſum. Itaque ut omnis fallaciæ ſuſpicio tolleretur, animalibus cultro caput recidi, nulla interpoſita mora cranium ſecui, nervum acuſticum adii, veſtibulum aperui, cavitatem exſiccatam inveni quidem, ſed vix madentem, majoremque madorem obſervavi, quo origini ſuæ animalia erant proximiora. Quapropter opinatus ſum, Cotunni aquam labyrintho eſſe exteram, ibique eam humoris copiam exhalare, quæ ſatis ſit ad conciliandam iis nervis mollitiem ad ſenſum neceſſariam, ſecus ab aëre attacti exſiccarentur, & in duram chordam muneri ſuo obeundo impotem abirent, & tantum per accidens & præter naturam aggeri. In meis porro experimentis nullum errorem latere poſſe exiſtimo, ſpectata cavitatis amplitudine, humoris, ſi adeſſet, copia & ſenſibilitate, periclitandique facilitate. Nihilo ſecius, Anatomicorum Princeps, Te rogo atque obſecro, ut mea tentamina in uno vel altero animali peragas, inde me juxta ingenuum, & humaniſſimum animum tuum de exitu certiorem facias: ſi res enim Tibi aliter contigerit, ac mihi centies accidit, Cotunnii ſententiam nihilominus libenter ſequar, erroremque meum æquo animo recognoſcam: ſi vero idem Tu quoque expertus fueris, admone utrum quæ

ſcribo litterarum orbi tui innixus auctoritate patefacere debeam. Da mihi veniam interim rogo, quod Te moleſtia tanta affecerim, & humanitate tua, ut ſoles, ſave.

Vale Medicinæ Decus, vale, Deusque Optimus Maximus ſemper ſemperque Tibi largiter annuat.

Foro Cornelii poſtridie Idus Julii 1772.

313.

ANTONIUS CAPDEVILA.

Si valetis bene eſt, nos vero valemus. Summa cum lætitia die 19. Aug. anni ſuperioris, Perilluſtris Vir! litteras tuas, Beati Ludovici Gallorum Regis die libros, quos mihi curaſti, pro maximo officio, & ſtudio, erga nos tuo accepimus, pro hoc eximio beneficio, quoad fieri poſſimus, habemus grates.

In fidei rebus ſanctam Scripturam, in moribus SS. PP. græcos, & latinos, in phyſicis Potamon Alexandrinum, in phyſiologicis Perill. Hallerum nunquam ſine laude nominandum, in praxeos med. Principes, & immortalis memoriæ Max. H. Boerhaave diſcipulos, in Botanices Cl. C. Linnæum ſequimur. Quare Pittonis Tournefort rei herbariæ Inſtitutiones, & Cl. Linnæi Philoſophiam botanicam legimus, & relegimus, hanc præferimus illis ob ſummam doctrinam & eruditionem

ditionem eximiam, hiſpanam fecimus exmo. Arandæ Comiti inſcriptam, quæ ſi ſuis ſumptibus edere velit, lucem viderit, ut Cl. Linnæo mittamus, ut fecundiſſimum Hiſpanorum diſcat Idioma.

Bibliothecam botanicam tuam, ob eximiam doctrinam, ac eruditionem nunquam intermorituram, Nomenclatorem tuum ex hiſtoria plantarum indigenarum Helvetiæ, Cl. Henrici Joh. Nep. Cranzii, Archiatri Auſtriaci, cruciformium claſſem, Georgii Chriſtiani Oederi, Archiatri Danici enumerationem plantarum Floræ Danicæ ceteraque quæ a Te accepimus, in ſuccum, & ſanguinem convertimus, haud pœnitebit laboris. Te Cl. Virum ut Præceptorem veneramur, quæ a Te petimus, rogamus, & ſupplicamur, ut Botanices Scriptores monſtres, ne in Cl. Linnæi, aliorumque Botanicorum hujus ævi ſcripta, oleum & otium perdamus.

Michael Barnades & Cl. Johannes Minuart conterranei noſtri, Botanices Prof. Regii Madridenſis vere ſuperiori obierunt, hic erat vir optimus, decrepitus, ille LIII. ann. nobis ingratiſſimus. Carolus III. Rex noſter, auguſtus patriæ Pater, Mæcenas &c. primarium Botanices Prof. Madridenſem conſtituit Cl. ac erudit. Juvenem XXVIIII. ann. Caſimirum Gomezium Ortegam, Bononiæ diſcipulum, græcis, latinis, anglicis, italicis, gallicis & hiſpanicis eruditum idiomatibus, Hiſtoriæ naturalis & Botanices Cl. & eruditiſſi-

 mum

mum Cl. ac Perill. Hallero, Oedero, Cranzio Linnæo æqualem, nec ſuperiores fore avidiſſime expectamus.

Novembris Calend. Madridium iter facimus Cl. Minuart & Perill. Caſimiri Gomezii Ortegæ Opera botanica Tibi curabimus, quoad fieri poterit.

Vale, Eximie Vir, ſalutem tuam cura diligenter, Familiam tuam, Cl. Tiſſotum, Graſſetum noſtrum plurimum meo nomine ſaluta, Tui amantem redama. Chinchillæ Prov. nov. Karthaginis Beati Mathæi Apoſt. die CIↃIↃCCLXXII.

Reſcribe per Madrid, Chinchilla.

314.

CALDANIUS.

Pathologicas meas Inſtitutiones quod pertinet oro obteſtorque, ut diligenter legas ac perlegas: inde moneas, dum tamen otii aliquid erit Vir præſtantiſſime, quæ recte prolata non judices: uno verbo quæ addenda, emendanda, delenda ſint. Forte enim novam editionem parabit Typographus, quia pauca edidit exemplaria, eaque occaſione vellem eas Inſtitutiones numeris, quoad fieri poteſt, omnibus abſolutas lucem iterum adſpicere. Nunc laboro in parandis Inſtitutionibus phyſiologicis, quarum explicationem, de more, proximo anno ſuſcipiam.

Interim

Interim unus ex noſtris Philoſophiæ Profeſſoribus propria elementa philoſophica evulgans, de irritabilitate & ſenſitivitate nonnulla protulit, id maxime contendens, priorem nihil aliud eſſe præter elaſticitatem, poſteriorem autem illum eſſe caracterem, qui proprie ac ſpecifice animalia plantis diſcriminat. Hanc ob cauſam nos carpit in irritabilitate, quod entia multiplicaverimus, citra neceſſitatem; & redarguit in ſenſitivitate, quod partes omnes ſenſu aliquo præditæ eſſe debeant.

Vale, Amice Præſtantiſſime, & me, quæſo, amore tuo proſequi pergas.

Dabam Patavii die 27. Nov. 1772.

315.

H. D. GAUBIUS.

Tametſi vere & multum doleo, Tibi, Amico veterrimo, male eſſe, ſubit tamen & gratulari, vergentem ætatem tuam non majoribus, quam memoraſti, moleſtiis premi, eſſe Te adhuc ſuperſtitem, nec otioſum. Quod ſi enim cogito, quemadmodum a juventute ad hoc uſque tempus corporis tui curam præ cultura mentis neglexeris, quam aſſidua contentione officinam & inſtrumenta animi, nerveum hominem, attriveris, & ne nunc quidem nervos remittas laborum honorumque ſatur, quod docent, qui alii poſt alios etiam nunc prodeunt Te vel Auctore, vel Curatore,

tore, libri; hæc, inquam, cogitant mirari satis nequeo posse, ub uno homine tot ac tanta præstari, & videre mihi videor, proposuisse Te per sapientiam mori. Scilicet sobrietas a prima juventute summa Tibi quasi panacea videtur, quæ avertere noxas debeat, ex vita sedentaria, lucubrationibus, studiis intensis, inde ab ætate juvenili ad senium usque indesinenter continuatis, metuendas.

Intelligis, Amicorum Optime, quid hac præfatione velim. Illud, primo loco, ut Te doceam, qua medicatione præsenti ægrotationi occurrere debeas: aliud insuper hoc volo maxime, ut scias, non existimare me malo, quod ægre fers, subesse materiem, vitiumque aliquod organicum in vitalibus. Contra, si omnia & singula recte considero, magis credibile est, spasmodicum quid in illa corporis sede incusandum esse, in qua Triumviratus habitat, quem mirabilis noster Helmontius, male ideo explosus, Archæi nomine, per universum nervorum systema dominari, olim statuit, quemque Tu irritabilitate cæteras omnes partes præcellere experimentis monstrasti.

An dubitas? Perpende, quæso, quæ initio monui. Adde, quod memoras, temperamentum tuum mobile, ventriculum debilem, pulsum semper etiam in sanitate incitatum; adde, mali tui originem, violentæ animi perturbationi deberi; per æstatem melius Te habuisse, autumno demum recidivam esse passum. Forsan & inter legendum scri-

ſcribendumque ea Tibi eſt corporis poſitio, ut præcordia adverſus tabulam premantur, aut pro- natione angantur, maxime cum ne poſt epulas quidem aliquandiu Te feriari putem. Solus infuſi Theæ & Caffè abuſus, a quo forte tua Te ſobrietas non abſtraxit, in cauſa eſſe poteſt tui mali. Mihi certe & olim fuit, & nunc eſt, quamprimum ad calidæ potionem redeo.

Itaque non macerare, tanquam ſi polypus, aneuryſma, aut tetrum id genus vitium ſubeſſet, Neque & in ventriculo vel inteſtinis ſaburram finge, quæ purgantibus everrenda ſit. Augent hæc potius malum infirmando viſcera. Abſtine etiam ab uſu acidorum, quæ ſæpius obſervavi irritabilibus nocuiſſe; & nonne tartari cremor Tibi pariter?

Suadeo potius uſum roborantium, nervinorum, hyſtericorum, inter quæ eminet Valerianæ ſ. radix Cortex Peruvianus, Chalybs, folia mali aurant. Caſtoreum, Gummi ferulacea. Adjunge, quæ pingue, glutinoſum & acre ſcorbuticum in corpore obeſo tenuare, corrigere queant. Qualia ſunt Raphanus, Arum, Naſturtium, Sinapi cet. His ſi accedit diæta roborans, ex cerealibus, carnibus levibus, non pinguibus, abſtinentia a lacticiniis, vegetabilibus multum aquoſis, acidis, nitroſis, tum congrua motuum corporis ratiõ & matutina ventris frictio; multum fallor, niſi plena brevi tempore ſanatio ſucceſſerit. Nihil tamen vitale principium relevabit magis, quam

vernus ſol, quem hyemali ſolſtitio ſuperato propediem nobis promittimus. Veſcere tum aura liberiore, vitæ cibo. Conducet & balneatio frigida, & anno provectiore acidularum martialium ad ipſos fontes uſus.

Hæc quo in Te animo propoſui, eodem & Tu accipias velim & exequaris. Deus autem proſperet.

Subjungo pauca, quæ ad me attinent.

Ita vale, Optime Hallere, meque tuum ama.

D. Leidæ a. d. XXI. Decembr. cIↃIↃCCLXXII.

316.

CALDANIUS.

In anatomicis lectionibus nunc verſor. Triumviri litterarii die 15. menſis proxime elapſi repente imperarunt, ut eas etiam mihi aſſumerem tradendas. Eas jam abſolvi, quæ de more in noſocomio haberi ſolent, quæque pertinent ad elementa, ut dicunt, ad oſſa, ad vaſa, ad nervos. A publicis autem exordium ſumpſi die 23. menſis currentis, & cunctis diebus ordinariis in iis laboro; mutavi nonnulla, & certe præparationes plurimum differunt ab iis, quæ docente Morgagno, exhiberi ſolébant. Caveo tamen a majoribus mutationibus, quæ accuratiores præparationes reddunt, ne viro illuſtri etiam mortuo ſim infenſus.

Amicis

Amicis ea, quæ famam & nomen comparant, non ſunt reticenda: qua de re, quamvis invitus, moneo, me in magna auditorum frequentia nunquam antea ab aliquo obſervata, in maximo plauſu & ſilentio eorum, qui ſoli Morgagno anatomicam doctrinam tribuebant, meas lucubrationes expedire. Vellem nihilominus eas meliores reddere, & fortaſſe poſſem: ſed animus omni momento vexatur ex morbo conjugis cariſſimæ, & neque in anatomicam eruditionem, neque in alia, quæ ad id pertinent, intendi poteſt. Tantum locus ille, qui tuo nomini injurioſus erat, tuis nunc reſonat laudibus.

Novo hoc onere obrutus, vides Vir Præſtantiſſime, quam mihi grata nonnulla forent, quibus in Italia deſtituimur; puta præparationes nonnullæ exſiccatæ & accuratæ, injectiones quædam felices partium quarundam, aliaque ſimilia. Horum nonnulla, ſi ex amicis tuis atque olim auditoribus, mihi curare poſſes, certe gratiſſimum facias.

Quod pulſus intermittentia evanuerit, lætor & gratulor ſummopere. Gratulabor eo magis, dum ſciam, Te in corporis exercitio verſatum abſolutam valetudinem recuperaſſe.

Medicus Galli Bononienſis eſt etiam Chirurgus non inferioris notæ. Inter primos olim fuit Molinellii auditores. Ceterum ejus merita in artem obſtetriciam plurima ſunt. Nam præterquam quod in arte hujusmodi plurimum valet, primus is

is fuit, qui uteros artefactos, & varias foetus positiones ex terra colorata apud Italos construi curavit, ad meliorem obstetricantium institutionem. Collectio hæc nunc prostat in Bononiensi instituto, nummos enim solvit in hunc finem, dum viveret, Summus Pontifex Benedictus XIV. Collectio autem, ad exemplum illius, quæ Patavii nunc est, & magis copiosa, & magis accurata, & ex cera colore ad naturam effícto fabrefacta est.

Vale, Vir Illustrissime, ac Celeberrime, & rebus meis fave.

Dabam Patavii 29. Januarii 1773.

317.

JOANN. AMBROSIUS SANGIORGI.

Sisto Tibi Vir Doctissime & Excellentissime librum ex variis dissertatiunculis conflatum, pro una parte ineptum, & indoctum, quem tamen pro tua humanitate spero non injucundum fore, quamvis nihil novi, nihil ingenii præ se ferat, sed tantum dilucidationem cujusdam Graminis, apud nos pro semine cereali usurpati. Breviter historiam & causam edendi narrabo.

Conductorum panis militaris avaritia, eo rem deduxit, ut panem non modo furfuraceum, verum aristatum conficerent, immenso militiæ damno, de quo obauditis militibus, cum ad publicos labores damnati, qui eodem pane nutriuntur, multo

multo ſalutis incommodo præmerentur apud E-quites conqueſti ſunt acriter, eo quod ægrius panem quam pœnam impares eſſent ferendo.

Hinc fuit, quod tot damnorum cauſa cum panis crederetur, mihi tribus abhinc annis demandatum fuit, ut ejusdem analyſim chemicam inſtituerem, & rationem demonſtrarem, qua de cauſa tantum ponderis ineſſet huic alimento, & unde tot damna ortum ducerent.

Extractis, infuſionibus, fermentationibus variis in caſſum factis, tandem ſimplici elixatione in oſſium molitori Cel. Papinii in lucem prodiit, panem militarem, & damnatorum, ex plurima oryza confici, ea tamen, quæ in excorticanda eadem oryza, frangitur, & cum gluma projicitur, vix ad alendos pullos apta. Hæc molita, & cum farina cerealium in paſtam deducta, ab aqua non ſubigitur, non fermentat, minus ergo in panem vertitur, quamvis in furno exureretur.

Cum ergo ſimilis panis elixatur, ramenta oryzæ pulveratæ & exſiccatæ aqua imbuuntur, tumeſcunt, & veluti grana opalis conſpiciuntur. Hinc eſt, quod non vero pane, ſed plurimo oryzæ pulvere alerentur damnati, a quo nullum alimenti commodum, ſed tantum indigeſtiones, obſtructiones & morbi naſcebantur.

Hujus analyſis exemplar, cum ad ſacros pedes Cæſaris deferretur, & audiret Clementiſſimus

Monarcha

Monarcha inter cætera purgamenta frugum in panem misceri quoddam semen, apud nos Covetta nuncupatum, (quod est Cynosuri semen) quod tamen Secalis semen, vel Secale immaturum prædicabatur, mandavit doctissimo & humanissimo Do. Comiti Dn. Carolo de Firmian, nostro Moderatori, ut de hoc semine per me experimenta caperentur, quoniam in præcitata analysi nullum verbum factum fuerat, ne vel per studium dijudicaretur. Quatuor D. D. Physici delecti fuere, qui sensus suos circa propositum semen ederent, ut Tibi Doctissime Vir in præsenti libro videre licebit.

Non a Cynosuri tantum semine cum desecaretur panis militaris mihi demandatum fuit, ut quæ in opere, aut in assumtis generibus perpetrarent conductores admonerem: hinc mihi præ reliquis necesse fuit, ut duplici labore navarem, & de semine primum, tum etiam de pane differerem.

Facto hinc ideo verbo, & a D. D. Physicis, & a me de variis seminibus, quæ panem lædunt, & mihi cum datum fuisset onus operi cudendo, plantæ, e quibus dicta semina, instrumenta, & opera rustica ad eas eruncandas, studia botanica, & præcipue Clementissimi Ordines studii, ut iconibus graphicis perpolitis explicarentur, quæ forsan totius operis non modo ornamentum, sed etiam pretium præcipuum videbuntur.

Hanc

Hanc meam in Te fidem, ne mali vertas, qui ſine meritis, ſine nomine auſus ſim opuſculum tribuere, ut ſubditus Tibi Muſarum Principi, ideoque parce precor muneris tenuitati, & fave. Vale.

Mediolani 22. Martii 1773.

318.

CALDANIUS.

Manum etſi valde debilis ad calamum admoveo, ut ad Te ſcribam, Vir Præſtantiſſime. Cauſa debilitatis eſt ingens neque forte unquam ſedandus, animi dolor, ex eo natus, quod die XIV. ſuperioris menſis uxorem amiſerim amantiſſimam, dignam, pro animi dotibus, quibus maxime ornata erat, quæ nunquam interiret, ut perpetuum optimarum mulierum exemplar conſiſteret. Ratio, quæ me impulit ad ſcribendum, ea eſt, quod ab amico monitus fuerim, legiſſe ſe in diario quodam gallico, Te propediem amicorum epiſtolas ſub prelo daturum fore, inter quas meæ non omittentur.

Difficile eſt epiſtolas ſcribere, quæ typis tradi poſſint, etiam homini in linguis plurimum exercitato: difficile etiamſi epiſtolarum ſceleton, ut ſic dicam, paretur, antequam in meliorem formam redditæ currenti calamo ſcribantur: difficile homini, etiam perito, elegantiam quandam in iis conſcribendis ſervare, ſi negotiis plurimis diſtenditur, ea, qua par eſt, animi vacuitate ad

opus

opus accedat. Hæc Te non latent, Vir Celeberrime.

Nunc in phyſiologicis inſtitutionibus contexendis laboro; ſed lente admodum opus progreditur, quod animus nulla ratione valeat exhilarari.

Tu vale, quod vehementer opto, & me porro, ut ſoles, ama.

Dabam Patavii die 27. Martii 1773.

319.

C. F. ROTTBÖLL.

Primum de plantis rarioribus librum, una cum 50. circiter deſcriptarum ſpecierum, & paucis aliis Tibi occaſione nundinarum Lipſienſium mitto, cum gramina Te reliquis plantis præferre ſcripſiſti, munuſculum ob affectionem, quam in pertractata objecta locare places, propenſionem aliquam authori tui ſtudioſiſſimo conciliatum eſſe, mihi blandior. Graminum, quæ non miſi, vel unicum chartæ adglutinatum ſpecimen modo habeo, vel omnino deſidero, cum tractatione per manus artificum deſtructa ſint. Si Konigius vel amici alii in poſterum mittant, lacunarum reminiſcar.

Si tuo & paucorum aliorum judicio non omnino inutilis videor author, laboris, quod deſideravi, accipiam præmium, ultra quód cuperem, non

non habeo nisi hoc unicum, ut thesaurorum possessores mihi, uti olim Dillenio & Scheuchzero hæc officia præstiterunt coætanei, communicatione specierum, quibus careo, succurrere vellent: infra laudatos viros me esse scio, & hanc ob causam me sapientiorum consilio & adjumento magis egere sentio.

Panica mea, exclusis dactylodeis, ad 50. circiter species ascendunt, & proximo V. D. continebuntur libro, tres vasti hujus generis mihi erunt ordines. Prius, qui maximus est, flores bifloros continet, & habent intra calycem trivalvem corollam s. glumam bivalvem hermaphroditam, & univalvem masculam. 2. continet subbifloras habentes præter florem s. corollam hermaphroditam valvulam masculinam sed inanem, ut autumavit Miegius. 3. unifloras continet & minimus est sine flore masculo & valvula inani. Mitto Panicum è Surinamia proximum tuo 1544. & Linn. Crus Galli, sed hoc Surinamense grandius est, multo latioribus foliis, & quod præcipuum est, biflorum semper, dum Europæum nunquam inveni nisi subbiflorum. Mitto specimen, ut habeam tuam & de planta & de discrimine sententiam, observationem, ut silentio tantisper premas, oro; si molestus non fuerim, bona specimina Panici tui 1542. & 1543. mihi expeto.

Digitarias tua e sententia, a Panicis, licet squamulam minimam loco valvulæ tertiæ habeant nonnullæ, separare constitui; at notam communem,

quæ dactyloidea hæc gramina sub Paspalo paniceo, Agrosti, Cynosuro, Andropogo, dispersa conpinget, invenire perdifficile est. Dactylus Cynosurodes mihi maxime ex usu esset, crescere in Anglia scribit Linn. Sed quomodo inde habeam nesciam, aliquam spem fert Burmannus junior.

Si Cornucopiæ, Cynosurum, limam & durum, Phalarim erucæformem, Andropogum Ravennense communicare potes, etiam tuam Fl. Helv. 1342. 1411. 1412. 1414. mihi rem facias gratissimam.

Mitto dissertationes inaugurales 3. Authores apud nos sunt Candidati, vel ipsorum amici, nunquam præsides. Programmata nomine Rectoris M. eduntur quidem, sed a Kallio seniore L. O. Professore, vel ejus loco e filio gr. linguæ Professore, scribuntur. Thotianum catalogum exscribere totum prolixum foret & inutile opus: libros, quos Seguieri Bibliotheca non habet, vel editiones ipsorum non relatas in chartam congessi, an nunc catalogum hac vice mittere possim nescio. Vetustarum editionum & manuscriptarum rationem mihi reddere promisit excellentissimus possessor, & promissis ut se liberet, quotidie exspecto.

Edidit Arduini duos observ. botanic. libros, ultimum desidero, si potuisses mihi hunc ex Italia procurare, & per Bibliopolas vestros Lipsiam mittere, facerem ut per mercatores nostros solverentur ibi pecuniæ.

Fasci-

Fasciculus tuus oberrans jam e Belgio hic quotidie exspectatur, si quædam hac æstate mittere velis, credo hoc commode fieri posse per ægros vestros fontes Pyrmontanos adeuntes, qui tradere possunt vel nostratibus, vel Lubecensibus, aut superintendenti Cramero remittere, unde certissime habebo, vale.

320.

CALDANIUS.

Monet amicus Somisius nonnulla apud eum esse, quæ proximo mense per cymbas, ex Duria in Thilistinam fossam, & ex ea Venetias usque de more deductas mihi curabit. Ea occasione & Celsum accipiam & Lobstenium, ac cetera, si quæ sunt perhumaniter a Te missa; pro quibus porro Te omnibus me Tibi, Vir Illustrissime, devinctissimum profiteor. An secundus Bibliothecæ botanicæ Tomus, & alius, de artis medicæ Principibus, præter quartum, inter hæc dona extet, hactenus ignoro.

Ad anatomicas præparationes quod attinet, eæ inter alias mihi erunt gratissimæ, quæ viscera aut partes exhibent coloratis injectionibus repletas. Cæterum alia quæcunque non minus desiderata erunt & accepta. In tanta enim Prædecessorum meorum celebritate (in his aperiendis erubesco) ne sceleton quidem, quod mirum non sine ratione unicuique videbitur, in Theatro pro-

ſtat ; immo neque aut oſſis aut membranæ alicujus ſiccæ fruſtulum : &, quod deterius eſt, theatrum ipſum, quod forma ac vetuſtate ſe ipſum commendat, ita neglectum ſemper fuit, ut, pro irrumpente undique ac violenter aëre frigidiſſimo, dubium valde ſit, num melior foret Anatomici conditio, ſi exercitationes ſuas ſub dio tradendas ſuſciperet. Neque ea hic finem habent, quæ per deceſſorum meorum inertiam, nauſeam movent, ſimul ac bilem : his enim accedit, quod nulla theatro circumſtant loca, ad partes ſecandas idonea : unica duntaxat cellula, & fortaſſe inter minimas etiam minor, theatro contigua huic operi comparata eſt ; unde præparationum, ex hac etiam parte, non tam inconcinnitas quam fœditas proficiſcitur.

De epiſtolis, quod ſcribis, quas edere paras, liberum Tibi relinquo dictionem, ut placet, emendare.

Cum doleo de ſubinde revertente pulſus intermiſſione, una ſimul gratulor, quod ambulatione exercearis. Utinam etiam equitatione : exercitatum vitæ genus, magnum certe Tibi ſeu valetudini tuæ afferet emolumentum.

Faxit Deus Omnipotens, ut animus meus, ſæviſſimo adhuc dolore ſauciatus, ad quietem ſaltem aliquam aliquando redeat : ſed plurimum metuo, ne id mihi unquam accidat exquitiſſima ſenſibilitate prædito, tanto magis acuta, quanto uxoris meæ dotes erant rariores ; quæ (procul abſit oratoria amplificatio) re ipſa erant rariſſimæ.

mæ. Ad dolorem exaſperandum accedit, quod corpore erat ſupra omnem fidem ad geometricam regulam conſtructo, ita ut medicea Venus mihi crede, imperiti artificis opus videatur. Una ſpes eſſet doloris pauliſper leniendi; Halleri videlicet penna dulciſona. Tua in hoc funere carmina ſuaviſſima oh quam jucunda mihi forent, & ad mulcendum erigendumque animum comparata! tanta eſt tua in his etiam ſtudiis amœniſſimis explorata peritia ac facilitas, ut, quoties valetudinis cauſa corpus exerces, grave Tibi eſſe nequeat, Muſarum montem conſcendere, quo, divino afflatus ſpiritu amico propemodum languenti levamen afferas non exiguum. Marmoream addam inſcriptionem tumulo inſcriptam, ut leviſſimum aliquod tantæ uxoris judicium ferre poſſis. Poſt hæc, oro etiam atque etiam, Amice Illuſtriſſime, ut valeas.

Dabam Patavii d. 29. Maji 1773.

321.

JOANNES PETRUS MARIA DANA.

Hodie primum demandatam ad Te, Vir Sapientiſſime, ſcribendi provinciam ab amiciſſimo & nobiliſſimo Viro D. Comite de Saluces, ipſius loco & Societatis noſtræ totius nomine libenter arripio; ut mea qualiacunque officia, hac data occaſione in perpetuum Tibi voveam, ſimulque aliquam eorum quæ facta ſunt, vel fieri debent,

rationem reddam. Prodiit in lucem hisce diebus miscellaneorum Actorum Societatis nostræ Taur. vol. IV. in eoque insertum tuum ad Scheuchzeri Agrostographiam Supplementum. Voluminis hujus ad Te quantocius mittendi Societatis nomine occasionem brevi se reperturam pollicitus est D. Allionius, cui propterea illud dedimus. Sub prelo sudat volumen quintum, quod brevi & certe hoc anno ante hyemis adventum prodibit; nec retardabitur amplius hujus impressio, cum longe alia, magisque speciosa futura jam sit nostræ Academiæ facies; cumque nullo unquam tempore majori alacritate, sub certa utilitatis & proximi præmii spe socii laborare potuerint. Rex augustissimus omnia imposterum sibi dicari vult, Societatem ipsam privilegiis, stipendiis & honoribus solemniter sub suo regno decorandam, ac sibi ad Berolinenses, aliarumque normam instaurandam proponit. Erectionis hujus monumenta in fronte voluminis Vti. impressa videbis. Plurimi a nobis semper fient, quæcunque a Te exarata obtinebimus hactenus inedita opuscula; & tanti, ut non modo pro jam missis grates rependere, sed pro iis, quæ pro tua humanitate, ut soles, mittere non dedignaberis, plurimas habere omnino debeamus. Faveas igitur nonnulla mittere pro volumine quinto, nisi grave videatur, quo citius sequentibus mensibus eo melius. Gravissimi longe Viri alia graviora esse negotia equidem non ignoro; at multigena immortalia tua Opera jam edita abunde testantur, Te optimam omnium expectationem superasse & pluribus inten-

intentum, omnibus ſuffeciſſe, cum omnium admiratione. Dudum hæc me ad tuam litterariam botanicam præſertim correſpondentiam exquirendam induxerant; ex poſtremis his menſibus præcipue dum de *Agarico pelliceo* ſcriberem, & dubitarem an idem eſſet cum tuo *Hiſt. inchoat. N°.* 2290. (hac charta includo illius ſpecimen, juxta quod analyſim & deſcriptionem dedi in Vol. IV. ut cum tuo conferas) at diſtuli hucuſque, tua otia turbare non auſus. Cæterum non ſine voluptate quotidie tua ſcripta pervolvere ſoleo, nec tua in Rempublicam medicam & in Botanicam merita ignoro; & ideo dubito, an alius in hac urbe exiſtat, qui ſit, & fuerit magis tui nominis cultor, tuæ doctrinæ ſtudioſus amator, ac admirator, quique magis ex animo ſuum Tibi famulandi deſiderium aperiat, & optat ſuæ obſervantiæ luculentiſſima, & exiſtimationis pleniſſima teſtimonia præbere.

Vale Vir Doctiſſime ad publicam utilitatem, ad totius litterariæ rei decus ac ornamentum.

322.

CALDANIUS.

Ægre admodum ex poſtremis tuis litteris intelligo, Vir Suaviſſime, quod poſt podagricas affectiones, febris Te corripuerit, & urinæ frequentia. Cum tamen hujus ſedimenta ſint valde craſſa, & pulſus intermiſſio pene vanuerit, in

magnam ſpem adducor, & febrem, & ſedimenta illa, criticæ indolis eſſe, ac propterea tandem aliquando in tuæ valetudinis emolumentum faceſſere poſſe; quod faxit D. O. M. quem vehementer exorabo.

Quæ ad me attinent, tempus ingenti meo dolori nullum hactenus ſolatium attulit, & quod gravius eſt, me defecit in ſtudiis ſedulitas, & in litterariis rebus abſolvendis promtitudo. In phyſiologicis inſtitutionibus conferendis verſans, lente admodum pergo; ut decem dierum curriculo id non agam, quod aliàs decem horarum intervallo, & quidem rectius, perficere conſueveram. Omni fere momento dulciſſimæ conjugis imago mihi ſeſe offert: ſolebat quippe, ne in ipſis ſtudiis, quod ſæpe faciebam, modum excederem, in meum parvum muſeum deſcendere, & vel de mentis meæ promtitudine aut ſegnitie vel de ſtudiis ipſis rationem quærens, vel de rebus domeſticis ſermonem inſtituens, vel demum (quod ſuaviſſime canebat) ut cantiunculæ quam recenter didicerat, fidium modos jungere ipſe vellem, amicis officiis exorans, vel ſimilibus aliis ſolertibus ſimulationibus maritum, quem ſummopere amabat, a diuturno ac duriori labore amovere curabat. Hæc omnia mihi certe inſcio, in memoriam ſæpiſſime recurrunt; & maxime hora illa, in qua de me quærens, qui dolore confectus paucis ante horis alio in lecto decumbebam, cum reſponderent Medici & amici, non poſſe me ad eam ire, quod morbo aliquo detinerer, vim faciens

ciens quam poterat ut ſurgeret, & me viſeret, ad eam ut me conferrem amici ipſi coëgerunt. Quanta animi præſentia, & quanta ſuavitate me ſit allocuta, norunt qui tunc aderant, ego enim ſenſibus eram pene deſtitutus: id unum, proh dolor, videre potui; nempe theca cryſtallina, in qua fruſtulum crucis Jeſu Chriſti aſſervatur, ſponte manibus comprehenſa & labiis admota, ſpiritum ſuum Domino Dominorum commendans & maritum dilectiſſimum, ſub ipſis meis oculis protinus exſpiravit. Hæc inquam omnia animo ſæpiſſime obverſantur, & lachrymis magna vi profluentibus ſolatium duntaxat aliquod præbet aut ejus tumuli viſitatio, aut Odes tuæ in Mariannam, aut Doridis, aut Propertii Eleg. XI. Lib. IV. lectio avidiſſima, ac ſuaviſſima.

Intelligis igitur, Vir præſtantiſſime, quantum grata erunt carmina, quæ pro amicitia tua, conjugi tam rariſſimæ præparare pollicitus es. Erunt, ut ſpero, gallico ſermone eoque ſoluto conſcripta, velut ea quæ ſunt in omnium manibus, & quæ ſuperioribus menſibus mihi curaviſti.

Pro præparationibus 20. aut ad ſummum 30. nummos aureos hactenus erogare poſſum. Si dives eſſem, iter in hanc civitatem ad dolorem leniendum libentiſſime ſuſcepiſſem. Si gratæ erunt, ut ſpero, Reformatoribus, quibus ſuo tempore oſtendam, tunc operam dabo, ut ii plurimarum præparationum copiam huic Theatro adjungant, quod non privato Fabricii ſumtu, ſed Principis ære con-

ſtructum fuit. Fabricius conſtructioni præfuit, cujus formam ſeu exemplar perhibuit celebris ille J. Paulus Scarpi.

Quod catalogum R. S. B. amico Comiti Malvezzio dederis, gratias ago plurimas, quemadmodum pro libellis, quos colligis. Neſcio an librum *Zeviani* poſſideas, cui titulus *dei morbi putridi.* Alexander Monaldi Auximi Medicus, opuſculum de Hygiene, ſi recte ejus litteras intellexi, typis quamprimum dabit, & cum *Zeviano* mittam.

Ignoſce quæſo, ſi de meo dolore plura hic attuli: in hoc præſtando levamen eſt, ac præterea carminibus tuis hæc argumentum præbere poſſent. Cura interim valetudinem tuam, Vir Celeberrime, & infeliciſſimum amicum amore tuo ſuaviſſimo proſequi quæſo ne deſinas. Vale.

Dabam Patav. d. 7. Auguſti 1773.

323.

CALDANIUS.

Non ſine magno mœrore accepi, Te, Amice præſtantiſſime, frequenti mingendi moleſtia inter dormiendum vexatum eſſe; neque enim membra neceſſaria quiete laxari poſſunt, & corpus nutriri, ubi ſomnus adeo frequenter interrumpitur. Amico, qui Te plurimum diligit, quæſo ignoſce ſi monet,

ſi monet, Uvæ urſinæ uſui ſe, plurimis ſuſceptis periculis, non multum tribuere: in his moleſtiis non aliud apud nos auxilium palmam ſibi præripit, quam ſimplex decoctum Malvæ cum lactis pauxillo bis terve de die aſſumtum. Optimam hepatis, lienis, ac rerum præparationem & injectionem inter cætera primum deſidero; deinde etiam eam ſinuum omnium duræ meningis cum baſi oſſea cranii & truncis arteriarum ac venarum: tertium, epididymidum, vaſorum deferentium ſ. chyli ciſternæ cum ductu ad normam *tabulæ chyliferi* Albini: mammæ muliebris ſ. uno verbo hæc atque alia hujus cenſus mihi erunt gratiſſima: iterum enim, & cum dolore, moneo, nos in hoc theatro omni prorſus præparationis genere carere.

Vale, & me, ut ſoles, ama.

Dabam Patavii die 10. Septembris 1773.

324.

324.

JOH. GESNERUS.

Valde doleo de vacillante valetudine tua. Incommoda illa & urinæ vitia non videntur in ipſis renibus, ſed externis veſicæ circumjacentibus partibus ſedem ſuam habere, quæ quandoque fomentis externis emollitæ vel reſolutione vel ſuppuratione ſanantur. Deus Omnipotens remediis benedicat!

Scheuchzerus in adſignandis menſuris barometricis admmodum inconſtans eſſe ſolet, dum duodecimales vel decimales Tigurinas, alias Pariſinas aſſignat. Secundum rationem ab ipſo indicatam ratio pollicis decimalis Turicenſis eſt ad Pariſienſem duodecimalem 100. 108. Hinc 19.″ 2.‴ Decm. Turicenſes æquales 207. 36. duodecim. Pariſinis hoc eſt 17.″ 2‴ $\frac{4}{5}$: certe Scheuchzeri fratres hac ratione uſi ſunt. Exemplum habetur in Jo. Scheuchzeri Epiſtolis Itinerariis (quæ cum Scheuchzerianis ſchedis adhuc in tuis manibus verſantur), hic a me additum, ſi forte in harum epiſtolarum compendio omiſſum fuiſſet.

Vale, Vir Illuſtris & Amiciſſime, & mihi favere perge.

Turici die 18. Sept. 1773.

Obſervationes barometricæ A°. 1704. in itinere Mediolanenſi a Jo. Scheuchzero cum Illuſtri Comite Marſiglio inſtitutæ.

Locus	Dies. Menſis. Tempeſt.	Altit. ☿ in ped. Turic.	in Pariſin.	Altit. in decemped.
Lacus Tigurinus & Turicenſis	☉ 28. Jun. ſerena	24″ . . .	26.″ 8‴	
Lacus Urienſis	——— ——— ———	24. . . .	26. 8.	
Stäg	☽ 29. --- nubila	23. 8‴ . .	26. $5\frac{1}{3}$	16.
Waſen	——— ——— ———	22. 7. . .	$25\frac{2}{3}$	104.
ſupra Geſchinen ad pontem ubi arbores deſinunt	——— ——— ———	22. $1\frac{1}{3}$ . .	24. $7\frac{1}{9}$	152.
Urſera	——— ——— pluvia	20. 6. . .	22. $10\frac{2}{3}$	272.
ſupra Gotthardum apud Capucinos	♂ 30. --- ſerena	19. 8. . .	22.	336.
Airol	——— ——— ———	21. $8\frac{1}{3}$ . .	24. $3\frac{1}{9}$	174.
ultra Capucinos ad pontem Unterbrugg	——— ——— ———	20. 9. . .	23. $2\frac{2}{3}$	268.
Gran Dacio	——— ——— ———	22. 7. . .	25. $2\frac{2}{3}$	104.

24.″ Tigurini ſive 240. lineæ æquales menſuris Pariſinis 26.″ 8.‴ vel 3. lineæ decimales Tigurinæ æquales ſunt 4. lineis duodecimal. Pariſin.

325.

ANTONIUS DE HAEN.

Munificentiæ atque liberalitatis dona, latinissimi Celsi abs Te editi, primique epistolarum voluminis, suo tempore accepi, agoque quas gratias possum. Utinam respondere meis ad hæc crepundiis possem! Interim quod pro virium tenuitate valeam, rependo; exiguum munusculum Tomi XV. Rat. Med. cum Indice XV. Tomorum locupletissimo. Quam hic primam tracto materiem, de spumosa lympha pulmonum, gravem quidem, & ulteriore discussione dignam, necessariamque, Tibi, Vir Inclyte, elucidandam præprimis commendo. In ultimo capite videbis me bellum, hominum vafritiei atque superstitioni dudum illatum, strenue perpetuantem. In laborioso Indice vitia evitare Indicum annisus, minus cæteris Pinacographis me peccasse mihi blandior philautes; quamvis nihilominus nonnulla, necessario tamen memoranda, me prætervidisse deprehendam.

Elapso hoc Septembri mense nos Viennenses exhilaravit magni Viri, *Trallesii* vultus. Ignotus autem facie eousque mihi, bello amico tantum, Breslaviensem mercatorem simulans, convenit, plurimas a Consiliario Tralles mihi impertiens salutes: cumque in Trallesii laudes totus effunderer, vultumque semel ejusdem contueri gestientem me indicarem, ille vix ultra lacrymarum arbiter,

biter, eum ſe ipſum eſſe, quem tot laudibus efferrem, exclamabat. Quæ mutua deinceps colloquia noſtra, eaque 12. dierum ſpatio continuata, rectius Tecum intelliges, quam verbis idem enuntiare ego poſſim. Notus idem auguſtiſſimæ, viginti abhinc annis Sileſiacas cum Imperatore oras viſenti denuo ſe eidem præſentem ſtitit, ab eaque priſci colloquii ſe memorem teſtata, pyxide aurea elegantiſſima, cui Franciſci & Thereſiæ imaginem referens numiſma aureum incluſum, gratiſſime donatus fuit. Utinam & tuum, Vir Ampliſſime, unica modo vice contueri vultum daretur! utinam & optimi *Tiſſoti!* atque etiam integerrimi tandem & ingentis *Trilleri! Bonneti!* ſed diſtantia locorum hoc gaudium ad beatam æternitatem procraſtinare jubet.

Viennenſis medicina in dies magis, ut per edita, Vir Ampliſſime! cernis, empirica fit; quam parum vero ſalutifera, quam bonæ praxi inſidioſa ac noxia ſit, aliorum experimenta potius, quam meo, innoteſcere velim. Subolfecit jam fucum *Tralleſius*. Aſt vero non Viennenſis duntaxat eſt hæc rerum facies; par & alibi furor eſt. Quid enim aliud, Optime Hallere, Bordevi de pulſibus clamores? Argumentum hujus communicem Tecum patiare. Viennam appulit Exp. *Milman*, Medicus Anglus, Vir doctus & ingenioſus, qui vi *Legati Radcliffiani* integro quinque annorum ſpatio cunctas Europæ Univerſitates celebriores, doctioresque Medicos, inviſere debet. Alterum ſuæ peregrinationis annum Lu-

teriæ

tetiæ Parisiorum, pulsibus a *Bordevo* edocendis, destinaverat. At vero ille onerosam praxin caussatus ad Cl. *Thierry* misit illum, virum utpote sibi in notis pulsuum arcanis parem. Protinus itaque convenit *Thierryum*, qui subridens verum esse ajebat, quod Bordeus dixisset, se illi esse in pulsuum doctrina parem, at vero neutrum plus ceteris de pulsu nosse. Equidem se, ut amicum, Bordeum venerari; id tamen se probe nosse, quod ipse ille rideat Medicorum tam exterorum quam indigenarum, simplicitatem, credulitatem, vimque imaginandi ridiculam; dum profecto ipse suum systema aliam ob causam non excogitasset, quam ut apud Nobiles, præcipue autem apud sexum amabilem nobilem, eminentiore præ cæteris fama inclaresceret: hanc porro ejusmodi adeptus esset, ut cunctis, qui suam opem implorarent, invisendis, dies non sufficeret. Ingeniose Galli hoc exprimunt: *pour parvenir.*

Interim pro mea virili ætate germanam medicinam Hippocraticam docere pergo. Videbis vero, me aut Universitati valedicenti quondam, aut vita functo, hanc doctrinam Empirismo cedere, ni averruncet *Deus* oportere: Viennæ enim, haud secus quam Parisiis, sic fama comparatur.

Vale, Optime Hallere, & amare me perge.

Dabam Viennæ 9. Octobris 1773.

Veredario librum mittam, ne denuo semianni spatio in itinere moretur.

326.

ANTON. DE HAEN.

Doleo profecto ad ejusmodi litteras, quales, Inclyte Vir, tuæ posteriores, respondere me debere. Amici integerrimi, ac venerandi tantopere per Europam Viri, prospera valetudine, veluti mea lætus, gravi animi dolore ad eandem adversam poscitus fui. Quia tamen id Providentiæ sic placuit, eaque ipsa mutuum nobis auxilium imposuit, cui favere frequenter amat, tenue meum salutis consilium lubens propensusque dabo.

Duæ potissimum res, si scripturam tuam difficilem probe intellexi, notandæ veniunt, altera vesicæ urinariæ, altera serosæ diatheseos nonnulla internarum, nonnulla externarum partium, occupantis. Ad priorem quod spectat, omnis hic anamnesis purulentam dispositionem in tumoris ad bulbum in urethræ sede supponit: qui tumor sive ab aberrante hæmorrhoidali cruore cretus, sive a lenta congestione ortus, se olim quidem evacuavit ea, qua turgebat, materie; nihilominus puri generando aptus, eoque denuo satur, cum præterfluente lotio id commiscuit, quod in eodem elapso vere deprehendebas, sedimentum. Liberato vero Tibi ab hoc incommodo, idem temporis lapsu renasci poterit, nisi hujuscemodi dispositionis integra fiat, per auxilia, mox memoranda, emendatio.

 Altioris

Altioris autem indaginis res altera eſt. Poſt primam tumoris crepaturam & rheumaticam pleuritidem memoras, & intermittentem, cum intermittente pulſu, febrem epidemicam. Ignarus cujusnam genii ea eſſet epidemica febris, id non aſſero, a ſeroſa diatheſi, cum febres intermittentes, tum pſeudopleuritides, crebro naſci; quæ ſane diatheſis dudum Tibi latentius inhæret, poſt abſorptam venis bibulis balneorum aquam nunc tam in crure femoreque, quam in pectore, manifeſtiora cepit ſui indicia dare.

Itaque motus aliquot, retro ab annis defectus, abſentia ſignorum pectoris ac pericardii hydropis (quamvis uterque hic morbus tam dubia ſui ſigna præbeat, ut ſæpius falſam quam veram diagnoſin fuiſſe cadavera arguant), catena ſymptomatum, quæ multis retro ab annis hunc mihi morbum, tanquam verum parenchymatis pulmonis hydropem demonſtrarunt; morbum, inquam, quem forte Hippocrates, quem certo Mercatus, quem egregie Jacotius, P. Martianus, C. Piſo, Th. Willis, & utrumque etiam Simſon, deſcripſerunt, quemque multiplici exemplo Morgagnus ac demum ego nuperiore cadaverum complurium ſectione, Tomo XV. memoranda, evidentiſſime demonſtravi; hæc, inquam, omnia arguere mihi videntur, in ipſa pulmonum celluloſitate ſerum colligi.

Prognoſis morbi eſt eâ plurium pectoris morborum benignior; ſic ut Simſono pro parte ideo rarius

rarius in cadavere detegi, ut ſaltem ipſe credebat, videretur, quod facilius curaretur. Id quod expertus & ego fui. Cum enim in celluloſitate perpetuo mobili pulmonis hoc ſerum hæreat, adeoque in circulationis motu, diuretica, purgantia, diaphoretica, id evacuare facilius poſſunt: eo evacuato & reſpiratione expedita, recidivum cura reſtaurans cavet. Sed, ut recte Simſon monet, vincendus eſt, quo nunc in ſtatu eſt, morbus; ne transſudando generet pectoris hydropem; quæ altera ejus ratio eſt, cur erroneè credat morbum rarius inveniri in denatis.

Curatio ex dictis patet. In tuo vero corpore, Vir Illuſtriſſime, eſt grave quoddam curæ laudatæ obſtaculum: ita ut ſapientiſſime moneas Te continuo diuretica aſſumturum fuiſſe, ni metuiſſes ſopitum veſicæ vitium ne exſuſcitares. Quamobrem nec ego eadem ſuadeo. Purgantia autem hydragoga, a ſyſtemate urinoſo vere revellentia, tutoque ſerum expellentia, tum & diaphoretica, omnem abſolutare paginam videntur: potiſſimum ſi cum frictione cum partium œdematoſarum, tum & ſpinæ vertebrarum & abdominis, pannis laneis fumo aromatico, præcipueque juniperino imbutis, peragenda hæc cura ſocietur. Purgans autem tale cum alterno, tertio, quartove duntaxat die, dari ſoleat, & Cortex Peruvianus, quo febrem catarrhalem pulcre moderatus es, & cum vino ſumta TRa. Martis aperiens, Martisve extractum, corpus diebus intermediis roborabunt, ſerique expulſionem promovebunt: maxime ſi

& aër, & siccior diæta, & motus, in idem conspirent.

Faxit Deus, a quo omnia, & quo sine nihil, ut in universi humani generis, nostrumque præcipue emolumentum, atque gaudium, senescas brevi! Si quid vero a mea tenuitate opis expectare Te posse judices, ne mihi parcas quæso. Si cum singulo tabellario scripseris, quantiscunque sive injunctis, sive voluntariis, in bonum publicum susceptis negotiis premor, certo teneas me cum singulo tabellario responsurum: si me dies absorbeant totum, noctes Halleri erunt. Nullus dubito, quin integerrimus amicus Tissot Tibi sit a consiliis: si quid ille me rectius sapiat, lubentissime etiam cum illo de tua pretiosissima salute conferam.

Die Oct. 10. accepi epistolam tuam, postquam die 9. ad Te scripseram, gratias de donis tuis gratiosissimis agens, & Tomum XV. per Veredarium annuncians. Doleo litteras nostras 14. diebus in itinere esse.

Cale, Optime Hallere, & in Tuis Haenium habe.

Dabam Viennæ 13. Octob. 1773.

327.

327.

CALDANIUS.

Nimio me afficis honore, Amice Celeberrime, quod Cælium Aurelianum meo nomini inſcribere volueris. Tantis cumulatus muneribus vehementer commoverer, niſi ſenſus alius exquiſitior animum meum pene dilaceret; ille nimirum, quem morbus mihi extorquet, quo conflictaris. Quæſo iterum atque iterum, ſi paullulum remittit, ut Caldanii tui, qui Te plurimum amat, exhortationibus conſiliisque impelli ſinas. Saluberrimus nempe eſt Patavinus aër, blanda eſt hyems, eaque, ut intelligere potes, multo brevior, quam apud Vos eſſe ſolet. Habebis apud me hoſpitium amico Philoſopho non penitus indignum, & ſufficiens quod una ſimul aut amantiſſimam Uxorem tuam, aut Filium excipiat, quorum alterum aut utrumque Tibi comitem adjungere omnino poteris. Nolo ut protinus amiciſſimo & ſane ſincero huic invitamento reſponſum des; quidque in hac re agendum Tibi ſit repente decernas. Conſilium antequam capias, oro obteſtorque, ut amica & tranquilla mente contemplari velis: gratum certe facies Patavinis civibus, gratiſſimum mihi. Tu valetudini tuæ proſpicere tentabis: ego, pro honore quo me afficies, mihi ipſi vehementer gratulabor, & animi mœrorem non parum conlaxabo.

Interim Cavallini opus accepi, quod

mittam ad Schulthessios cum physiologicis Institutionibus, quæ proxime prodibunt. Videbis, nisi plurimum hallucinor, *Lineas* tuas contractas, & me satis meo fecisse muneri existimavero, sin in hoc præstando eas informes non reddiderim: quod vereor magnopere, cum duorum tantum mensium intervallo inter animi dolores hactenus acerbissimos, totum opus contexere coactus fuerim.

De . . . quod scribis novum mihi non est. Sæpius ex meis Præceptoribus audivi, illius regionis auctores in . . . . porro arte, in reliquis non ita excellere: immo anatomicas aut medicas illius gentis productiones eximius *Beccarius crepitus auratos*, propter sermonis lenocinium, cum aliis bene multis appellare consueverat.

Nervorum descriptores non valde magni facio. Nunquam cohibere me potui (injuria fortasse id præstiti) quin ita sentirem, attenta maxima in his rebus naturæ inconstantia. In ea quippe sum sententia, ut possit unusquisque, potioribus truncis exceptis, alia atque alia videre; & magnopere vererer ne, si ego in eandem provinciam pedem inferrem, objicere plures possent nervorum distributiones, ramorum numerum variantes, & similia, *res esse ad mentis libidinem confictas.*

De Morgagno aliqua dixi, in notis ad Caput de urinis, & de virilibus, quemadmodum videbis.

bis. Quæso Amice præstantissime tuam cura valetudinem, suscepto in Italiam itinere, & me ut soles, ama.

Dabam Patav. die 23. Octobris 1773.

328.

JOSEPH ROVATTI Felicitatem.

Tam alacri & magno animi solatio elapsa hyeme, accepi litteras tuas, ut vix temperamentum lætitiæ meæ invenire potuerit; & mihi desunt jam verba, ut quantum sim, humanitatis tuæ obstrictum profitear. Acceptis litteris, Tibi scribendi in desiderio eram, ut, quantas Tibi debeo, æternas agere gratias ob egregia officia, quæ meæ tenuitati tua concessit humanitas, obque optatas insuper notiones, quas mihi de re petita communicare dignatus es. Sed epistolam tunc exaraturam, & quam modo solum conscribo, non tantum ob graves curas hucusque protraxi, verum etiam ob aliam causam, nempe expectationem temporis, quo opellas typis evulgassem, & sic, sola tunc nacta occasione (ne Tibi afferrem molestias) reddere Tibi gratus, simulque harum fasciculum Tibi transmittere. Sed nunc meis hac tempestate libellis extremam manum ponere nequeo, propter jussum a Serenissimo nostro Principe acceptum texendi insectorum nostræ regionis historiam, qui fere totas animi mei cogitationes occupat; rumpo moras & scribo, ne mea Tecum

ſilentia viderentur, ſeu a lenta nimis ſegnitie, ſeu ab inurbana ruſticitate naſci. Inſuper mea tanta eſt obſervationes inſtituendi libido, & nova ſemper parandi, ut difficillimum ſit, omni abrupta mora, mea colligere, & in diſſertationibus tractatibuspue congerere: violento, ut ita agam, excitatus genio, & forſan juvenilibus fidens annis, quorum vix ſeptem ultra vigeſimum transmigrarunt. Sic opuſculorum expeditionem, cum ea necdum in promtu ſit, in aliud differo tempus. Ut de aliis ſileam, qua publici juris eſſent, dialogum conficere in animo fuit inter Malpighium & Vallisnerium (genus, ut comperi, ſcribendi omnium difficillimum) quo de inſectis pluribus, quæ aliorum vulgari plebe extolluntur, partim detectis, partim illuſtratis agere placuit: nempe pediculorum leones, pluribus obſervatis circa partium eorum ſtructuram, evolutionem, mores, aliaque multa, de quibus a Reaumurio ſilentium: rubra & tenella Galla ſive tuberculum ex viminum pendens frondibus: violaceus Vallisnerii Crabro, ſive Apis a Reaumurio *percebois* appellata, quæ non crabronum ſed apum ad genus adſcribi debet: alia ſilveſtrium apum a me detectarum ſpecies, quæ excavatis lignis nidificant; & diverſa tandem ex veſparum genere animantia, quorum vermiculi quercinas habitant gallas, in centrali earum concameratione, poſtquam gallæ legitima formatrix, Muſca, foraminulo facto exiit, tanquam emancipata ab eadem: & ibi velut in utero foventur & augentur, donec, volantium manifeſtatis jam partibus, e parvo quem

quem habitant, in ampliorem mundum alati prodeant. Tractu temporis alios conscribam dialogos, quibus consimilium mirabiliorum insectorum historiæ materiam subministrabunt; siquidem ea sæpe, offerente natura, a me detegere datum est. De aliis omnibus minus præstantibus, quæ passim in naturæ gremio reperiuntur, in generali eorum historia, aliisque operibus fuse agam; methodo Vallisnerii, & Reaumurii; simplici enim Nomenclaturæ curiosus Philosophus in his rebus tractandis, cum acquiescere nequeat, scio, amplissimam hanc & perdifficilem esse provinciam, & amplius a clarissimorum plurium Virorum industriis occupatam. Sed labor improbus, & flagrantissimus horum studiorum amor, forsitan omnia vincent, & ea est magnæ naturæ liberalitas, ut, nobis volentibus, novæ semper suis & amatoribus, usque ad extrema secula opes coacerventur, nec periculum imminet, ut homines perpetuo feriari coacti sint.

Plures etiam volvuntur anni, quibus me inter insectorum indaginem, & mea inter tentamina animalium reproductiones occupant. Præ cæteris cultro suppositis nonnullos fluviatiles tentavi vermiculos, apodes, tenerrima constitutione natos, omnis figuræ & motus capaces, qui tam mirabiles in hac re mihi ostenderunt curiositates, ut potius quam alia usque huc invisa animantia post miraculosissimos Trembley polypos, primum usurpent locum. Nescio, an alii de istis scripserint; sed ut quantum reor, admodum ignoti

evadunt, aut extant *hirudolimaces*, de quibus loquitur expertissimus Reaumurius in præfatione sexti voluminis sui Insectorum Operis p. 70. editionis Amstelodamensis, ut tamen paucis verbis exprimatur, si secentur, multiplicari. Sed, de iis etiam differens celeberrimus Auctor, simplex nutus modica nimis est res, ut alii obmutescere debeant.

Hasce meas circa istos vermes adumbrationes censuræ Tui subjectas vellem, cum tuum sensum avide exoptem. Si quæ mihi in hac re occurrit detegere, brevibus exarata percurrere ne graveris. Nonnullis exsolutus, nunc me detinentibus, hoc observationum rude inchoamentum una aut pluribus epistolis congregabo, & amico Caldano, seu Spallanzano mihi apprime caro (Somisii enim ad amicitiam non àdhuc adrepsi) transmittam, ut Tibi opportuna occasione reddantur: præcipue cum hyemis tempestate mihi satis otii remaneat, ut otiante natura nonnulla ex diariis congerere possim.

Vere novo, cum ad capessendos maxime labores rerum Parens sudantem animum excitabit, necesse erit nova de iis observationum tentamina subire, perquantum mea ruditas sinet, ut inventa confirmem, nonnulla dilucidiora reddam, si ita licebit, & aliarum rerum indaginem assumam; res enim detecta ad ampliores inquisitiones viam aperire consuescit: & quæ mihi in tripode colendum occurret (sic) novis epistolis Tibi subjiciam.

Te

Te deprecor in epiſtolis me ſacræ Gentis Aſclepiadeæ nomine non decorari; non enim lauri ſerta mihi crinem circumdant, alius hic honor exornat frontem, qui eodem nomine, quo ego, pollet: unde facile in accipiendis litteris poſſet oriri confuſio.

Vale, Celeberrime Vir, & Tui amicitiam mihi perpetuere ne deſinas.

Mutinæ die 10. Decembris 1773.

P. S. Me excuſatum habe, ſi adjungo verbulum. Scire cuperem, an præſtantiſſ. Dom. Petrus Lyonnet adhuc inter viventes extat, intermiſſo enim ſine apparenti cauſa epiſtolarum commercio, de ejus vita ambigere cœpi, nec de eo Ticini, & Patavii, pluribus Profeſſoribus a me inquiſitis rem cognovi. Tu, forſan illi obſtrictus, aliquas (ſi mihi ſcriberes unquam) poteris de re optata notiones præbere.

Iterum vale & fave.

329.

CALDANIUS.

Gratiſſimas Tuas die 14. Novembris datas duobus tantum abhinc diebus accepi.

Eæ

Eæ animum partim erexerunt, partim vero agitarunt. Erexit notitia, quod morbus non ſit ater ac doloribus conſociatus, fluantque urinæ absque impedimento: agitavit ſubitum decretum tuum de non relinquenda domo, deque non ſuſcipiendo per Alpes itinere. Non ſemper Alpes nivibus algent, & quam de iis publici juris feciſti deſcriptio elegantiſſima metum atque horrorem omnem antevertit, curribus ſufficiunt lecticæ, neque ætas tua hujusmodi eſt, ut ſenium, quod mones, iter tuum in Italiam prohibeat. Si valetudo tua inſtauratur, ut ſpero, iterum oro atque obſecro, ut humaniſſima præſentia tua, atque amiciſſima, Caldanium tuum recreare velis. Aponenſes aquæ, balnea hæc, aut acidulæ Recobarienſes, robur addent ſolidis per morbum laxatis, & quicquid viſcidum in humoribus fortaſſe geris, diluere poterunt atque diſpellere. Ubi hoc perficere ſtatuas, polliceor ad Mediolanum me conſerre, ut ex ea in hanc civitatem uſque itineris ſocium me Tibi adjungam.

Nondum a Schulteſſiis accepi quæ offers, & pro quibus ſummas ago gratias; præcipue autem ob id, quod juſtiſſimum dolorem meum epiſtolâ in fronte Aureliani poſita nonnihil levare, ſi tamen levari poteſt, ſatagere voluiſti.

Inſtitutionum mearum exemplaria duo ad Te pertinebunt: oro autem ut meæ tenuitati plurimum ignoſcas: tria quæ addita ſunt, quibus Viris clariſſ. pervenire cupiam, in fronte libri contra titulum adnotavi. . . . .

. . .

. . . .
. . . .
. . , . . Atque utinam tua Poëmata non legissem! quæ enim vividissima sunt, elegantissima, omni poëtici sermonis venustate ornata, & vatis reapse summi dignissima, gallico quamvis & soluto idiomate reddita, in italicos illius census versus translata vim omnem, ornamentum, elegantiam, unò verbo lepores omnes amiserunt.

Die 11ma. hujus mensis Venetus Senatus Reformatorum consilium confirmavit, addiditque theoricis meis laboribus etiam anatomicos: hanc igitur cathedram nunc etiam occupo, & jam a demonstrationibus in nosocomio exorsus sum: quare, si prius decem erant quotannis, nunc erunt saltem viginti quinque. Stipendium auxerunt ad 1000. argenteos.

Azzoguidius Bononiensis, auditor olim meus, dissertatiunculam evulgavit, qua, si fides Romanis Ephemeridibus, nullam inter vasa uteri ac placentæ communicationem adesse, demonstrare nititur. Nondum dissertationem accepi; eam Tibi alia occasione curavero. Vereor ne Physiologiam tuam rite legerit, neque Albinum. In iis Ephemeridibus (ut nullum amicitiæ erga Te meæ testimonium desideretur) ea non probantur, quæ a Te de sensu cellulosæ dicta sunt, & Gottingæ edita, occasione observationis a Meckelio habitæ. Quid hoc sit me prorsus latet.

Quæso

Quæso ut moneas an erro, cum existimo figuram duodecimam Tabulæ tertiæ Heisteri effictam esse ad libidinem. Omnia enim mihi semper etiam adolescenti, visa sunt numeris omnibus perturbata atque confusa. Inversum hepar ea non potest exhibere, quæ a dextris & sinistris in oculos incurrunt.

Cura valetudinem tuam Vir Illustrissime, & amare ne desinas.

Dabam Patavii die 22. Decembris 1773.

330.

CALDANIUS.

Singularis est casus pueri nobilis, qui cum erosa vel fortasse deficiente tympani membrana & sine malleo atque incude audit accuratissime. Observandum superest, num temporis progressu auditus hebescat aut pereat: fortasse enim externus aër, in tympani cavum per meatum auditorium liberè irruens, posset membranam fenestræ rotundæ, & partes ipsius cavi molles adeo pervertere, ut eæ propriis tandem vacent muneribus. De eo mentionem feci in publica Anatome, cui finem imposui die tantum Sabbathi proxime elapsi, inter magnum semper auditorum conventum. Quæ dissecando observaverim hæc sunto.

Anicula annor. fere 80. quæ ætate obiit atque inopia, neque tamen epilepticis aut spasmodicis

dicis affectibus vexata unquam fuit, gerebat in media regione processus falciformis os satis magnum, duos pollices longum, unum vero latum, inæqualiter crassum; ubique planum, & nihil assurgens qua parte sinistrum cerebri hæmisphærium spectabat, contra quam in facie ad hæmisphærium dextrum conversa. Habebat etiam utraque ovaria plena hydatidibus, levi tunica communis comprehensis, & adeo tumentia, ut ovum gallinaceum, at propemodum rotundum accurate referrent.

In muliere alia inter tendinem perforantis digitorum pedis & tendinem flexoris longi ac proprii pollicis brevis funiculus tendineus intercedebat, at parumper complanatus. Ita flexor pollicis contractus digitos reliquos omnes flectabat, & viciffim perforans digitorum in actionem adductus flectebat pollicem ipsum. Præter hæc in digito pedis minimo nullus erat tendo, cum perforatus, tum perforans: sed hi duo tendines, in unum funiculum connati, in extremam ejus digiti phalangem inserebantur.

In cadavere viri, vesicula fellis peculiari atque extenuato lobo hepatis excipiebatur, qui lobo majori videbatur superadditus. Fissura fere transversa, seu potius fovea satis insignis, in parte hepatis concava limites circumscribebat magno hepatis lobo, & illi, qui adjectus erat: cui foveæ in facie hepatis convexa respondebat stria nonnihil altescens, ex fibris fere tendineis intricatis

catis intertexta. Foſſa excipiens venam umbilicalem nullo iſthmo, ut aliquando fit, erat interrupta.

In feminæ cujusdam cadavere duos ureteres vidi, ad ſiniſtrum renem pertinentes. Intervallo duorum digitorum transverſorum ſuper veſicam concurrere videbantur, ſed tamen canalis inde natus ſepto diviſus erat, unde duplex fuit hiatus in veſicam.

In altera femina arteria emulgens ſiniſtra prorumpens a poſterioribus ad anteriora truncum venæ emulgentis perforabat; inde ante venam ipſam ad renem traducebatur. Erat foramen in media ſede inter ſiniſtrum renem & cavam aſcendentem; foraminis autem oſtia ad tubulum ſpectabant peculiarem venoſum, qui, venæ emulgentis ſectionem interrumpens, ſectionem ipſam in duas inæquales partes dividebat, ſupernam majorem, infernam minorem. Arteria ſpermatica ſiniſtra ab emulgente arteria, poſtquam ſociam venam pertunderat, producebatur, & ſpermatica etiam dextera emulgentis ſui lateris propago erat.

In dextri cordis ventriculo alterius cadaveris polypus ſedebat non valde magnus, ſed adeo fibroſus, durus, & cum lacertis carneis tanta vi connatus, ut ſine lacertorum eorum & radicum polypi ſectione ac laceratione avelli non potuerit.

Pertuſa

Pertuſa membrana feneſtræ rotundæ in homine recens mortuo aqua de labyrintho effluxit, & quidem in utraque aure experimentum ſucceſſit. Quo pertineat major harum obſervationum pars, Tu ipſe vides, Vir Clariſſime.

Dabam Patavii die 12. Martii 1774.

331.

CALDANIUS.

Quod notus puer hactenus audiat, mirum porro mihi videtur. Debuiſſet exterior aër membranam feneſtræ rotundæ exſiccare atque deſtruere, niſi forte, quod aliquando accidiſſe lego, tympani membrana, naturæ providentiâ, renovata ſit.

Quod ſenſim conſeneſcas inter morbum quo conflictaris, non poſſum quin gaudeam, quemadmodum ægre ferrem ſi id velociter eveniret: ſed vehementius gauderem, ſi fieri poſſet, ut nunquam conſeneſceres, aut ſaltem cum optima valetudine. Interim minus grave eſt, quod reſpirationis inſtrumenta illæſa ſuperſint, & urinæ vis in organa exerceatur, quæ ad ipſam aſſervandam comparata fuerunt. Ubi Aponenſes thermales aquæ, aut acidulæ Recobarienſes ad valetudinem tuam reſtituendam idoneæ forent (quod judicio tuo, Vir Præſtantiſſ. decernendum relinquo) iterum obſecro ut in Italiam iter ſuſcipias. Caldanius

nius tuus se Tibi comitem adjunget, Teque in propriam domum suscipiet libentissime.

Scribo ad amicos Venetos, ut mihi curent librum *la Casa rustica*; neque enim apud nos occurrit: ceterum quæ diaria optes non video. Si de medico loqueris, varii Tomi apud Te sunt: undecimus absolutus est, & XIIus. ad finem properat. Diarium Romanum, cui titulus *Efemeridi letterarie* nostri argumenti nihil habet, si parvum librum excipias Bononiæ nuper editum *delle febbri biliose dell'anno* 1772. Opus est juvenis medici *Benelli*: improbat sanguinis missionem & nitrum in his febribus, at mox sales laudat neutros. Alterum diarium Mutinense, quod dicitur *nuovo Giornale de letterati*, & ipsum quoque neque opera indicat, quæ typis eduntur, neque aliquid continet anatomici, medici, aut chirurgici argumenti. In eo, cujus quinque volumina hactenus prodierunt, laudatur tantum opusculum . . . . Tibi notum, *de vera uteri constructione*: quod sane opusculum, si quid video, erat improbandum. Nam & intimam uteri membranam nunquam negavit Morgagnus, quem auctor non intellexit; & potest præparari, ut ego quidem hoc ipso anno publice præstiti, & argumentum sumptum a naturæ providentia, quæ membranam non fecit, in gravido utero non disrumpendam, neque valet contra membranam uteri exteriorem, & intimam vaginæ; & injectiones, quas auctor perfecisse gloriatur, & a quibus se didicisse ait, uteri & placentæ vasa rubra invicem non communicare

nicare, nunquam fortasse instituit: si enim monet, eas protinus sibi viam fecisse per amnii vasa in amnii ipsius cavitatem; metuo plurimum ne id adserat quod hactenus a nemine observatum confirmatumve, cum de vasis & fontibus humoris amnii parum aut nihil in hanc usque diem notum sit.

Dabam Patavii die 23. Aprilis 1774.

332.

CALDANIUS.

Legi cum ingenti animi commotione, neque certe sine lachrymis, partim ex tristi recordatione tolerati doloris, partim præ voluptate effusis, *epistolam tuam consolatoriam*; & quam gratus Tibi sim, quod justissimo mœrori meo levamen aliquod afferre tentaveris monumento quodam in ævum mansuro, ego certe verbis satis declarare non possum. Navabo tamen operam, totis enitar viribus, ut opusculo quodam, in quo nunc laboro, quodque Illustrissimo tuo Nomini inscriptum erit, gratissimi animi mei testimonium publice perhibeam.

Utinam audiam aliquando Te urinæ sollicitationes minus lamentari! jucundissimum id mihi accidet, præsertim cum moneas, respirationem, vires animi & corporis, tum ipsam vocem secundum naturam se habere.

Notitia de vehementiſſima terræ concuſſione iſtic percepta per notiſſima rerum geſtarum diaria ad nos pervenit. Eo ipſo die terræ motus Venetias & Patavium exagitavit, ſed leniſſime.

Vale, Amice Illuſtriſſime! & quæſo amare perge.

Dabam Patav. die 28. Maji 1774.

333.

ANT. DE HAEN.

Cum poſt ultimam meam reſponſionem nihil inaudiviſſem, Vir Illme, Tuæ reconvaleſcentiæ multa me ſpes alebat, avidusque ejusdem completæ nuncias litteras expectabam: mœſtus autem me ab ea fruſtratum video; ex hiſce quippe quæ jam notas, etſi cum eis, quæ notabas olim, ſollicite contuli, malum video in pejus verti. Cum vero necdum veram mali cauſam per omnia demonſtrata ponant, ad generaliora auxilia confugiamus neceſſe eſt, quæ in obſcurioribus hiſce malorum cauſis profuiſſe viſa ſint.

Suaſere Amici ſerum lactis aluminoſum, quod in fluxu uterino, inque diabete opem tuliſſe uſus docuit. Diabetes vere chyloſa ſi urinoſa tua eſt, qui valde rarus eſt morbus, etiam illi nocere hoc remedium non video poſſe. Cum vero in urinoſi ſyſtematis morbis vitia tam inopinato in oppoſitum mutentur, ſic ut ex urina copioſa fiat rariſſima,

rariſſima, ex frequentiſſima rara, nullave, ſuadeo hoc ſerum adeo dilutum dare, ut ex ſuo Peplio Hippocrates mite purgans parabat. Quod ſi neque hoc juvaret, tuo ſi loco eſſem, redirem protinus ad uvam urſi, quæ pondere IV. vel V. ſcrupulor. cum $\frac{1}{3}$ pulveris Diatrag. miſta quotidie ſumta, diuque continuata, frequentem mictum haud raro mitigaſſe viſa eſt. Juniperi nigri baccæ nigræ, ſummitatesve, cum $\frac{1}{4}$ ſp. Junip. & $\frac{3}{4}$ aq. miſtæ, ut urinam ſtranguriofam in naturalem, ita quoque frequentiorem in moderatam convertunt. Reliquias mali aquæ Pyrmontanæ aut Spadanæ tollere poterunt.

Cavendum interim, ne nimio labore mentem, ne nimia quiete corpus lædas. Detrimentum ingens generi humano, Vir Illme. faceres, ſi animi corporisque vires, quæ ipſi prodeſſe longo annorum ſpatio poſſent, intra breve tempus diſpelleres. Si qua vetus editio aut impreſſa, aut MS. ſit, quam detegere nequeas, qua tamen opus haberes, forte in Bibliotheca Cæſarea Tibi invenire, & quibus indiges, excerpere ea poſſem.

Amici, ad quos petieram exemplar mittere, magni tui meique amici ſunt, Bonnetus, Tyſſotus.

De femina ſerpentigena ſic eſſe, ut ſuſpicaris, arbitror. Bis vidi, exuvias tales clarus Medicus Viennenſis ſuo ventre excluſas ad me mittebat, multas, unam ulnæ longitudinis. Conſolatus

 ipſum

ipſum fui exhibendo ill. ex Heurnio patre ſimilia de corpore Juſti Lipſii prodeuntia, & ſalubria. Vale, reſtituat Te nobisque diu conſervet Deus.

Viennæ 23. Julii 1774.

334.

ACHILLES MIEG.

Multa cum delectatione percepi ab eximio Viro Dno. Prof. Adolpho Murray, ipſum ſæpius Tecum ambulaſſe, unde concludere licuit valetudinem, ſi non plane reſtitutam, ſaltem multo meliorem eſſe, quam mox integerrimam exopto.

Cum nuper indicaſſes, Te frumentorum, quæ in Helvetia ſeruntur, hiſtoriam editurum, ideoque deſideraſſes ſpicas & deſcriptionem eorum, quæ minus vulgaria hinc inde occurrere poſſent, mitto hîc, cum ſpicis aliquot maturis, deſcriptionem *Tritici turgidi Linn.* cum videatur id, quo tempore hiſtoriam plant. helvet. ederes, nondum in Helvetia notum aut ſatum fuiſſe.

Radix annua, fibras vix ramoſas confertas ex uno puncto demittit, facile eradicandas.

Culmi ex una radice unus, duo uſque ad ſex, erecti, donec a matureſcentium ſpicarum pondere deflectantur, quatuor plus minusve pedes alti, craſſi, teretes, alba medulla farti, læ-

ves,

ves, glauco polline asperſi, infra ſpicam ſubflexuoſi, geniculis fere quatuor diſtincti lævibus, ſenſim remotioribus, ex quibus oriuntur

Vaginæ foliorum, a quatuor pollicibus ad decem uſque longæ, eo longiores nimirum, quo ſuperiores, ſtrictæ, ex polline adſperſo glaucæ, ſurſum & deorſum ſtrictu læves, lineatæ, ad foliorum exortum terminatæ in *membranulam* fere lineam altam, latam, quaſi reſectam, ſublaceram — Supremæ vaginæ finis a ſpica plerumque ultra dimidium pedem diſtat.

Folia ex origine amplexicauli, flaveſcente, ad margines ſubhirſuta, ad medium uſque lateſcentia, ubi ſæpe pollicem lata, hinc in acutiſſimum mucronem ſenſim terminata, inferne glauco polline adſperſa, cæterum læte viridia, glabra, inferne & ad margines lævia, ſuperne retrorſum ſtrictu ſubaſpera, medio nervo evidentiori lateralibusque parallelis verſus originem albeſcentibus.

Spica obeſa (etiam florens), ad quatuor pollices longa, rarius ſimplex, plerumque inferne utrinque aliquot ſpicis acceſſoriis plus minus uncialibus, duabus, ad ſex & octo uſque, aucta, hinc ibi craſſiſſima, ſæpe ad unum pollicem cum dimidio, & complanata. Illis ſpicis ad baſin una alterave imperfecta & ſterilis locuſta adſidet. *Princeps ſpica* ſupra medietatem diſticha eſt, inferius ſæpius tetraſticha, aut ex adjectis ſpicis anomala.

Locustæ confertæ, imbricatæ, latæ, obtusæ, latitudine, jam dum florent, longitudinem fere superante, alterne ad rhachin complanatam sessiles, quam plana superficie respiciunt, & undique occultant. Ejus scapi denticuli circiter lineam a se invicem distant — *totæ cæterum locustæ molliter hirsutæ* sunt, cum validis, laxis, exstantibus *aristis* ad quatuor & quinque pollices longis, retrostrictura ob brevissimas rigidasque setulas asperrimis.

Calyx plerumque bivalvis, valvulis seu glumis subæqualibus, ovatis, concavis, acuto dorso in mucronem extenuato, infra quem margines obtuse resecantur, ut subtrifidus apex videatur, mucrone medio, ut dixi, productiore. Totæ hirsutæ sunt, ad margines tamen magis, & pallidæ, cum viridibus lineis in florente stirpe, qui etiam valvularum exteriorum corollæ habitus est, nisi quod istæ glabræ sint, quoad calyce teguntur, seve ipsas tegunt — Aliquando triglumis est calyx, ut nempe alter ex majoribus folliculis duplici gluma calycina fulciatur, quarum interior, major, subinde aristata est, cæterà similis reliquis.

Subquadriflorus est calyx, sic ut ad rhachin seu scapum specialem inde surgentem, ut in tritico solet, tres *folliculi* sessiles, hermaphroditi fertilesque nascantur, & quartus sterilis pedunculatus. Duo infimi calyce paulo majores, ventricosi, subæquales, ex adverso orti, longas illas aristas

ariſtas edunt, tertius altiori loco ortus minor eſt, plerumque muticus, uti ſterilis. Quivis ex tribus majoribus folliculis biglumis eſt, *exteriori gluma* duriori, ovata, pallida, verſus margines in florente adhuc ſtirpe viridi & hirſuta, ex apice (in 2. infer. folliculis) longe ariſtata; *interior* mutica eſt, ſubæqualis, mollis, membranacea, dorſo complanata, lateribus ex viridi acuto margine introrſum replicatis, ut ſemen ex parte comprehendant — Intra haſce glumas *ſemen* eſt turbinato-triquetrum, viride dum immaturum eſt, & *proprio adhuc involucro albo*, molli, ſpongioſo, dum floret frumentum, arcte incluſum, quod ipſum uniglume eſt, triquetrum, marginibus obtuſis obiter ſulcatis, duabus exterioribus ſuperficiebus convexis, tertia interiori, quæ membranaceam folliculi glumam reſpicit, profunde ſulcata, ſummitate obtuſa cordiformi, ex qua demum emergunt tria ſubtiliſſima *filamenta* cum ſuis antheris bifurcatis, & duæ *tubæ* plumoſæ. Hoc involucrum perſiſtens eſt, & in pericarpium abit. Sic duo imi maximi folliculi ſe habent in florente ſtirpe; *tertius* muticus, minorque, cæterà ſimilia — *quartus* imperfectus, exiguus & ſterilis eſt. — Folliculorum maturorum glumæ ſecedunt, ut triturata *nuda grana* facile dimittant, cujusmodi Tritica apud nos Waitzen vocari ſolent, cum reliqua glumarum tenaciora Korn vocentur.

Grana matura pallida ſunt, turgida, extus convexa, intus profundiori linea ſulcata, utrin-

que obtuſa, & ad utrumque finem impreſſione cordiformi notantur.

Panis inde confectus dicitur egregie albeſcere, ſaporeque grato placere.

Accedunt figuræ *Tritici ſpica multiplici* C. B. in H. Ox. III. S 8. T. I. f. 7. & in J. Bauh. ſolaque glabritie differunt.

Dicuntur primo duæ ſolummodo ſpicæ maturæ hujus frumenti anno 1771. ab homine colonos conſectante, pileo affixæ ex Carolina in ditionem Baſileenſem fuiſſe apportatæ, ut ruſtici ex aſpectu eximii frumenti ad emigrationem allicerentur — quarum ſpicarum grana a ruſtico pagi Anwyl, qui illas ſpicas pro decem aſſibus a prædicto homine conquiſiverat, lapidoſo ſolo commiſſa ſpatio trium annorum viginti ſaccos granorum produxerunt, ſingulos circiter 200 librarum — atque ab hoc ruſtico ampliſſimus Vir Dn. LEISLERUS Tribunus Plebis anno 1773. emit granorum minorem modium, ſeu octavam ſacci partem, quam & ipſe in ſolo macilento, lapidoſo, nuperrime ex prato in campum mutato, nullo etiam fimo adhibito, laxe ſerendam curavit, proxime ſplendidum ipſius prædium ante portam Riehanam ſitum. — Ibi frumentum ſatum menſe Octobris 1773. floruit medio Junii 1774, ſectumque fuit die 29. Julii hujus anni, vix ſatis quidem maturum, ne paſſeres omnia denique grana raperent. Ex grano-rum

rum minore modio conſito (circiter 25. librarum) collectæ fuerunt faſces decem, iſtique granorum nudorum modios octo vel ſaccum unum dederunt. Sed præter id, quod ager, cui grana committebantur, valde macer eſſet, & æſtas præcalida atque ſicca, paſſeres, priuſquam grana penitus matureſcerent, copioſiſſimi ea perquirebant, tantoque facilius excerpebant, quod firmis culmis facile inſiſterent, deflexarum ſpicarum ariſtæ ipſis non incommodarent, & grana multo facilius, quam ex aliis Tritici ſpeciebus, excerpi ſe ſinerent.

Vale, Vir Perilluſtis, mihique porro fave.

Dabam Baſileæ d. 10. Sept. 1774.

OPERUM ALBERTI v. HALLER CATALOGUS.

